4.

DE CRISIBVS AD GALENI CENSVRAM LIBER

OMNEM CRISIVM COGNItionem breui, & miro ordine continens.

HIPPOLYTO SALVIANO AVTHORE.



4

ROMAE

1556.



ILLVSTRISS. ET REVEREN-DISS. IO. MORONO CARDINALI amplissimo,

Hippolytus Saluianus S.



VAM prudens habitũ fuerit veterum scriptorũ consilium, qui quę ipsi inuenissēt, monumentísque literarum mandassent, alicui claro ac primario viro dicarunt; eo in primis argumento perspici potest, quòd diuturna hęc est consuetudo, & cõstanter retinetur. Neque sanè iniuria (meo quidem iudicio) nam qui aliquid constituit edere, is non solùm id dicando, potest aliqua ex parte ei, cui fit beneficio aliquo deuinctus, gratiam referre, sed libro quoque authoritatem ac splendorem addere, eius pręscripto nomine, cuius is quasi auspicio in hominum exeat manus. Ab hoc ego antiquo optimo receptóque instituto, in hoc meo de Crisibus libro edendo, mihi discedendũ

non putaui; cum prȩſertim nō vt pleriſque aliis ſcriptoribus ambigua illa mihi delibe ratio accidat,cui potiſſimùm ex multis,qui & ipſi de me optimè meriti occurrunt,debeam offerre hoc quicquid eſt muneris,qui ita ſum tibi, tuis maximis & clariſſimis beneficiis obſtrictus, vt nulli alii quàm tibi hasce vigilias meas dicare debeam. Etenim prȩterquam quòd tu me in domeſticis meis difficultatibus tua liberalitate ſubleuaſti, etiam apud multos, non ſolùm ampliſſimi iſtius ſenatus, prȩſtantiſſimos viros, ſed & aliorum ordinum, in exiſtimatione & gratia (quoties res ipſa tulit) honeſtiſſima tua prȩdicatione poſuiſti; Quare cum tantum tibi debeam, quantum omnes intelligunt, cuinam potius non hos tantùm labores, ſed induſtriam etiam omnē meam, atque omnia ſtudia dicem, quàm tibi CARD. ampliſſime? Iam verò ſi illud quoque ſpectandum eſt,vt in his principi alicui viro dicandis exiſtimatio & gratia libro comparetur, à quonam hȩc ipſa certius ſperare potui,quā abs te ANTISTES Opt:Quem omnes meritó admirantur & obſeruant,

non solùm ob istam tuam amplissimam dignitatem, sed multò etiam magis ob vitę innocétiam, animi integritatem, eximiam rerum omniũ doctrinam, in bonos omnes doctòsque beneuolentiam, in pauperes misericordiá, & denique in omnes omnium generum atque ordinum viros, humanitátem; Quę summa in te omnia & ita egregia inueniuntur, vt non magis tu ab illius amplissimi ordinis dignitate orneris, quàm ille admirabili tuarum virtutum splendore illustretur; Nec hic ego vereri debeo, ne cui videar tibi adulari (quę sanè res, á meis moribus omnino abhorret) si quidem omnes boni, omnes docti (nam reliquorum iudicium nihili facio) omnes inquam illi qui te optimè norũt, qui plurimi quidem sunt, vna voce, me potius iniquum dicent, quòd de tuis virtutibus parcius dixerim, quàm quod magnificentius extulerint, adulatorem; Quanquam id mihi propositum non fuit, vt enumerarem laudes tuas, quę & otium maius, & dicendi facultaté vberiorem, voluménque potius, quàm epistolá postularét; Suscipe igiur CARD.

Illustrisſ. hunc librum meũ mole quidem exiguum, pręſtantia verò rerum, quas con tinet, maximum; quem nunc foras auſpiciis tuis emitto; atque pro tua facilitate patia-re, vt ei ſe honeſtare tuo clariſſimo nomi-ne liceat, & gratioſioré reddere, cõtráque maleuolorum iacula, ſcuto veluti quodam armare atque defendere; Quod ſi aſſequar, vt quidem ſpero, dabo operam, vt plerique alii mei medici libri, eiſdem tuis au-ſpiciis in lucem prodeant. Vale.
Romę Cal. Aprilis, Anno
ſalutis noſtrę 1556.

CANDIDO ET STVDIOSO LECTORI HIPPOLYTVS SALVIANVS IN ALMO ROMANO *gymnasio practicæ medicinæ ordinarius professor.* S.



MNIVM medicinę partium (nam in partes plures medica diuiditur facultas) eã quę futuros morborum pręuidet euentus, nobilissimam atque maximè necessariam esse, facilè intelligi potest; Nam cum aliarum quęlibet absque reliquarũ cognitione acquiri posse videatur (etsi enim nullam aliam attigerint, nonnullos simplicia cõgnoscere medicamenta, alios humana secare corpora, quosdam de morborũ differẽtiis, causis, atque symptomatibus disserere, multos chirurgiam exercere, & plerósque morbis demùm omnibus mederi, videmus) prognosticam partem solam nemo adipisci poterit vnquam, ni in reliquis etiam omnibus prius versatus fuerit; Prę-

terea cum vniuersa ars medica, atque pars
eius singula, tum rationibus ex vetustissi-
mis ac clarissimis authoribus petitis, tum
experimentis diuturna obseruatione com
probatis, perdisci re vera debeat, cum quę
eo ignorantię deuenerint nōnulli, vt non
solùm aliquam huius artis partem (vt Her
barii, Pharmacopolę, ac omnes fere nostrę
ętatis Chirurgi) sed eam etiam totam (vt
quamplures sumptuosis vestibus, pretiosis
annulis, honorifico famulorum comitatu,
& faceta loquacitate veram medicinam e-
mentientes) empiricè tantū addisci atque
exerceri posse (maximo hominum detri-
mento) contendant, alii verò eò vsque in-
sanierint, vt omni exercitatione neglecta,
& quouis particulari vsu posthabito, ex so-
lis commentariolis medicinam (haud mi-
nore humani generis iactura) facere au-
deant; hęc vna medicinę pars, huiusmodi
perditissimis abusibus se deprauari non pa
titur, cū nemo possit, nisi rationes ex com-
mentariis decerptas, innumeris adiunxe-
rit experimentis, futura in morbis prędice
re; Quòd si eo audacię aut temeritatis ac-

cedat quispiã, vt vel ex empirica sola exercitatione, vel ex solis commentariis morborum euentus prędicere tentet, iis, qui non prorsus iudicio carent, suam audacem ignorantiã citissimè deteget; Vnde si medicorum pręstantia perpendenda sit, haud quaquam ex hilari fronte, ex decora facie, ex concinna barba, ex facunda & faceta dicacitate, ex grandioríue senio eam existimare debemus (quod non solùm vulgares & plebei, sed Principes etiã atque Reges, (& quod maius est) docti quoque in aliis scientiis & facultatibus viri, faciunt) quum horum nullum medicę artis peritiam teste tur; Nec etiam ex numerosis ac variis pręsidiis temerè & absque ratione admotis & exhibitis, quo astu gregales medici miseris hominibus imponentes, egregii esse falsò credũtur; Nam pręter quàm quòd sępe innumera hęc pręsidia naturę negotium potius facessunt, quàm opem vllam ferant, vt quę paucis rationi cõsentaneis, atque morbo congruis, subleuari soleat; quilibet peritus aromatarius, hac ratione pręstantissimus cęteri medicus posset, quippe qui non

secus quàm qui ais medicus plurima atque inconsultò præscribere remedia possit; Nec minus ex eo, quòd ęgri, quibus medentur, sa nati sint, cum validum naturę siue virium robur grauissimos etiã morbos, vel aduersis admotis medicamẽtis, sępe vincẽs atque curans, apud homines ab euentu iudicantes, eos, qui iurè maxima digni essent infamia & dedecore, in summa gratia & existimatione perperã collocet; sed ex sola præsagiendi peritia, in qua neque vllo astu vsi, neque viriũ robori aut naturę solertię fisi nos decipere vulgares medici possunt; Postremò vt author est diuinus Hippocrates medicum pręsensione vti, optimũ est; Nam vt idem subdit, pręsentiens enim & prędicens coram ęgro pręsentia (antequam videat) pręterita (quę neque viderit, neque audierit) & futura; creditur agnoscere ęgri conditionem; Ex qua quidem existimatione non solùm admirabilior redditur, sed vt subiunxit Hippocrates, Hinc audent homines magis se concredere medico; Et quemadmodũ hac confidentia medicis pręceptis obsequẽtiores fiunt, ita facilius pri-

ſtinę reſtituuntur ſanitati; Verùm non ſolùm hac ratione, ſed per ſe etiam curandis morbis neceſſaria eſt prę ſenſio; Vnde idē, Ita curationē optimè molieris prę noſcendo futuras affectiones, iure ſubnexuit. Medicus nanque & prę ſentes & futuras ęgri cognoſcens affectiones, vti eas, quę adſunt, rectè curat, ſic futuras prohibet prorſus, aut minores ſaltem efficit; ceu bonus gubernator per futuram tempeſtatem omnibus proſpiciens atque omnia prę cauens; tum aliis medicis pręſidiis, tum congrua victus ratione; quę ſicuti in omnium morborum curatione maximè neceſſaria eſt, ſic abſque futuri ſtatus cognitione, ritè nunquàm prę ſcribi poteſt; Et demum vt idem nobis teſtatur, Cum fieri non poſſit vt omnes in ſanitatem ęgri perducantur, etſi id melius foret, quàm futura prę ſentire; qui prę ſenſione vti poteſt, morituros, euaſuróſque prę noſcens ac pronuncians, culpa vacabit. Cum igitur prę ſtans adeò atque neceſſaria medicis ſit prę ſagiendi facultas, iurè Galenus noſter, prę ter quatuor libros de prę cognitione ex[illegible]us, tres commē

tarios in prognostica Hippocratis, atque librum de prçcognitione ad posthumum, alios libros tres de Crisibus inscriptós, nobis reliquit; In quibus febrium (vt quę & frequenter admodum, & grauissimè huma na inuadant corpora) prçcognitionē edocet. Verùm cum Galenus (& si medicam artem omnem absolutè adeò nobis tradiderit, vt dubio procul illam totam ei refer re debeamus acceptam) hos suos libros sicuti & reliquos ferè omnes, ea prolixitate, atque eo docendi ordine conscripserit, vt illa laboris impatientes, hoc verò hebetioris ingenii homines iurè deterreat, atque ab eius lectione arceat; quemadmodū alios eius nōnullos, ita & hos de Crisibus inscriptos libros, ad minorem magnitudinem atque faciliorem ordinem redigere enixi sumus, [illegible]dque ea lege efficiundum suscepimus, v[illegible] [illegible]hil scit[illegible] necessarium, aut an[illegible]ad uersion[illegible] dignum ab ipso prodit[illegible]m, omitteremus; Quod cum in plerisque libris eius huc vsque prçstiterimus, & si amici quidam vt hosce cona[illegible]us [illegible]ostros ederemus, hortarentur; hau[illegible] [illegible]s omnes, quos bre-

uiores, ac faciliores hactenus reddidimus, promulgandos duximus; Tutius esse arbitrati eorum vno, quę ipsorum omnium futura sit cõmunis opinio, experiri, si is enim placebit, reliquos omnes etiam probandos esse credendum est, cum eadem breuitate, facilitate atque ordine singuli conscripti sint, vnde quod ad hęc attinet, si vnum noris, omnes noris; Et quo me minus mea falleret opinio, hoc periculum faciendum duximus, illius nostri libri editione, qui prę ceteris, longitudine, difficultate atque varietate eorum, quę continet, prolixior, obscurior, & minus ordine digestus esse deberet, cuiusmodi hic est, quem nunc foras damus, de Crisibus, siue de morborum mutationibus inscriptus; Qui pręter quam quòd sicuti tribus illis Galeni de crisibus, triplo minor est, sic omnia scitu necessaria in illis à Galeno tradita (ne vllo quidem pręter-misso) complectitur; eo etiam conscriptus est ordine, vt quilibet vel mediocris ingenii eum facillimè intelligere posit; Hunc igitur hilari fronte suscipe, candidóque animo perlege studiose lector, quantumque

hę noſtrę lucubrationes in medium allatu rę ſint vtilitatis & commodi, ęquo animo ęſtimato, Illorum enim iudicium, qui (vel quòd ſic ſentiant, vel quòd ita Galeni videri velint ſtudioſi) eo vſque Galeni ſcribendi modum extollunt, vt ne verbũ quidem addi minuíue poſſe temere contendant, floccipendo; Cum vti Galenus in medica tradenda facultate, iurè ac citra cõtrouerſiam medicorum omnium princeps ſtatui debet, ſic haud vndequaque eius laudandus eſt ſcribendi modus, quippe quem ſępiſſimè proliximoré quàm par ſit, aliquando verò & obſcuriorem eſſe, nemo ſanę mentis nõ intelligit.

CRISIVM SIVE MVTATIONVM MORBORVM PRAECOGNITIO, EX VNIVERSALIVM *morbi temporum præuidentia exoritur.*

CAP. I.



VLTIPLICES cũ ſint morborum mutationes, quibus vel ab ipſis morbis ſoluimur, vel diem obimus, horúmque cum vtrumq; nunc ſubitò, nunc paulatim, nunc verò partim ſubitò, & partim paulatim accidere conſpiciatur, Generoſum medicum ac hyppocratica arte dignum, harum omnium morborũ mutationum vniuerſas differentias, præſentes quidẽ cognoſcere, futuras verò præuidere operepretium erit, Sic enim non ſolùm rationabilius medendi fungetur munere, ſed etiam omni prorſus crimine ac calumnia vacans, tum ægris, tum a-

ſiſtentibus omnibus excellentior, admirabiliórque videbitur. Quamobrem qua ratione, cognitio & præſenſio hæc acquiri queat, hoc decreuimus inquirere libro. Erit autem optimum inquiſitionis huius initium, ipſorum vniuerſaliũ temporum morborum, præſentium quidem cognitio, futurorũ verò præſenſio, quando niſi hæc dum adſunt, cognoſcantur, dum verò adhuc futura ſunt, præuideantur, de ipſis morborũ mutationibus, vel præſentibus vel futuris quidpiam certi pronunciare non liceat, vt clarius in ſequentibus monſtrabitur. Singula igitur totius morbi tempora, quo pacto præſentia cognoſcere, ventura verò præſentire valeamus, docere primùm aggrediamur, deinceps verò de vna quaque mutationũ in morbis differentia agere proſequemur.

Vniuersalia morbi tempora quibus dignoscantur.
Cap. II.



VATVOR esse totius morbi tempora, principium.s.augumentum vigorem & declinationem, sicuti & quæ sit singulorum natura, proprio loco monstratum est, qua verò ratione tum ea, dum adsunt, cognoscere, tum adhuc futura præuidere, conueniat, impræsentiarum doccere oportet. Quæ quidem tempora cum dierum numero (vt quispiam forte extimauerit) non diffiniantur, (fieri enim nequit, vt morbus quatuor diebus finiturus, æqualia dierum numero habeat tempora, cũ eo qui vsque ad diem quadragesimũ extendi debeat) difficilis eorum redditur cognitio, nec quomodo iudicanda sint, omnes inuicem cõcordant, quinimo nec desunt, qui ea nullo modo

præſciri poſſe contendant. Ego autem cum tantùm abſim, ut quod futurum ſit penitus incognitum putem, ut de eo nõ ſolum artificioſam cõiecturã, ſed etiam certisſimam ſæpe ſcientiam haberi poſſe exiſtimem. Iam id qua fiat ratione aperiam, ab ipſo Hypp. rei huius duce exordiens. Qui cum in aphoriſmis inquiat, acceſsiones & conſtitutiones narrant morbi, anni tempora, & circuituum inuicem incrementa, ſiue quotidie, ſiue alternis diebus, ſiue etiam lõgiori fiant tempore, ſed & ex mox apparentibus coniectare oportet, & reliqua; per morborum conſtitutiones quandam ueluti eorum formam, ſecundum quam ex talibus & tantis cõſtituantur uniuerſalibus temporibus, ipſum intelligere, facili cõprehendi coniectura poteſt; Nam cum in primo Epedimiarum dixiſſet; ſunt autem ſpecies modi & conſtitutiones & ac

cessiones harum quarumlibet febrium. Deinceps subiunxit, Statim enim continua ueluti incipiens florescit ac uiget, & plurimum ad difficilius attollitur, circa autem crisim, & unà cum crisi extenuatur; Est autẽ quibus incipit ueluti mollis ac latens, resurgit autem atque exacerbatur singulis diebus, circa crisim verò satis emicat; Quibus verbis manifestè ostendit, se qualemcunque ex totius morbi temporibus compositionem, constitutionem nominare; Quamobrem cum & in præcitato aphorismo per morborum constitutiones, uniuersalia corũ tempora intelligat, eorundem temporum cognitionẽ quatuor inditiorum generibus haberi docet, morbo.s.ipso, anni tempore, circuituum adinuicem incrementis, & ex mox apparentibus; Verùm cum hoc compendium rerum sit, quæ in pronosticis liquidò scribuntur,

(consueuit enim Hypp. sola capita, eorum, quæ in libro particulatim tradun tur, in aphorismos transferre,) quo pacto horum inditiorum quodlibet uniuer salia conmōstret tempora, inquiramus; Et cum huiusmodi temporum præsentiū quidem cognitio, futurorum verò præuidentia acquirēda sit, ac horum signorum aliqua vel præsentium cognitionē magis, vel futurorum præscientiam so lùm nobis largiantur, alia uerò æque utranque tribuere posśint; particulatim de singulis agentes, quid eorum unumquodque significet, & quo modo, lucidè pertractare co nabimur, ab ipso mor bo exordientes.

Qua ratione morbi uniuersalia declarent tempora.

Cap. III.



VM morbos ipsos primùm nobis vniuersalia demonstrare tempora doceat Hyppocrates; Ex ipsis non quale præsens morbi tempus sit, cognoscimus; sed solum quousque quæ adhuc futura sunt, extendi debeant, præuidemus; Verùm cum in morbis & species, & magnitudo, & mos, & motus, abinuicem distincti reperiantur, num his omnibus, vel horum aliquibus, vnó ve, futura morbus innuat tempora, perscrutari oportet; comodè autem perscrutabimur, si ea quæ de eorum quolibet fusius alibi diximus, nunc breuius in memoriam reuocabimus; Morborum itaque species sunt tertiana, quotidiana, quartana, semitertiana, pleuritis, peripneumonia,

phrenitis, & huiusmodi, quarum quælibet quam primùm etiam inuadens, à perito medico ex propriis dignoscitur accidentibus. Magnitudo verò est morbi uehementia, quæ propriorum morbi accidentium quantitate & numero iudicatur. Mos autem in eo quòd benignus malignús ve sit morbus, cõsistit; ex symptomatibus morbum insequentibus nobis innotescens; Ab his omnibus demum motus differt, qui ex tempore partium accessionis comprehenditur. Nam si accessio omnia sua tempora celeriter peragat, velocem motum esse, manifestum est. At cum id intermitenti tantum contingat, (eam enim quæ celeriter omnia sua pertrãsit tempora, continuam esse, est impossibile, sicuti & quæ in temporibus omnibus prolixitatẽ seruat, intermittere,) in continuis, ac in intermitentibus, quarũ nõ omnia ce-

leriter peraguntur tempora cum ſtatus longior aliis temporibus extiterit, motus uelox eſt extimandus, ſi verò breuior fuerit, tardus quoque dicetur motus; Quibus ſic diſtinctis, morbos ſua ſpecie, primùm futura præmonſtrare tēpora, clarum eſt, quando quo calidior fuerit, eo etiam breuior extiterit, quantum verò à calliditate receſſerit, tantum diuturnior reddetur. At cum morborum ſpecies aliquæ cum affecto inuadant loco, aliquæ verò circa alicuius certæ ſedis noxam reperiantur; in his quæ ſine affecto loco ſunt, noxii ſolũ humoris naturam contemplantes, futura coniectabimus tempora; in quibus verò affecta quoq; ſedes conſpicitur, eiuſdem etiam ſedis naturam perpendere conuenit; Vnde ſi pituitoſus humor fuerit, neceſſariò diuturnus morbus erit. Longa verò magis, ſi atræ bilis naturam referat, at ſi ad


flauam bilem pertinebit, non erit diutur nus; cum ob ſuam tenuitatem citius bilioſi diſcuti conſueuerint ſucci. Quam ob rem in intermittentibus tertiana cito terminatur, quotidiana verò longa eſt, adhuc etiam hac longior quartana; Pari ratione & in continuis ardentes qui dem breuis temporis ſunt, quæ verò typhodes.i.ſuccendentes nominantur, Longiores, mediæ verò inter has ſemitertianæ; At ſi ſedes quoq; affecta fuerit, ex eius etiam naturæ cognitione, haud par uam ad id habebis coniecturam; (quando & ratione partis affectæ, non paruam maioris ac minoris rationis differẽtiam circa acuitatem ipſam recipiat morbus, ſi patiens namq; locus multò motu exerceatur, calidúsq; ſit, ac rarus, & principatum geſſerit, acutiorem morbum fore portendit; qui verò nec in motu eſt continuo, frigidúsq; ac denſus, & ſine

principatu, ad lõgius tempus eum, quo afficitur, morbum extendi debere signi ficat; qua propter lateralis morbus pe ripneumonia, phrenitis, & angina, acuti morbi sunt; tantóq; acutiores, quanto à calidioribus efficiuntur succis; Morbus verò articularis, & coxendix, & renum dolores, longioris temporis extant; eóq; ma gis, quo à crassioribus humoribus pẽ dent; Et sic morbi ex sua natura, vel spe cie, siue cum affecto loco inuaserint, siue absq; patientis sedis noxa constiterint, fu tura prænunciant tempora; Verùm cũ iidem specie morbi non semper eadem motus velocitate moueantur, sed iste ce- lerius, ille verò tardius moueri conspicia tur; Morbus quisq; nõ solùm sua specie, sed etiam & eo quo mouetur motu, futu- ra commõstrabit tempora, quanto enim celerius mouebitur, tanto citius statum fore prænunciabit; quanto vero tardius

moueri acciderit, tanto longius post tempus statum euenturum innuit. Tertiana igitur licet ex sui natura breuis sit temporis, quanto tamen mouebitur motu celeriori tãto reddetur breuior. Et quartana (alioquin natura sua diuturna) quanto velocius mouebitur, tanto minus erit diuturna. Morbi autem magnitudo ex se morborum constitutiones non declarat, ex accidẽti verò nõ inconuenit, vbi.s.motui celeritatẽ addiderit; Solet enim pluries morbi vehementia motus celeritatẽ augere. Similiter nec morbi mos per se vniuersalia denunciat tempora, sed solũ ratione mox apparentium, quibus mos ipse distinguitur, de quibus infra latius agendum, quando nunc solùm quo modo morbi propria ratione suas constitutiones prædoceant, monstrare constituimus: Quod cũ iam abundè docuerimus. Quemadmodum id quoq; anni tempo

ra præmoneant, perpendamus.

Quo pacto anni tempora morborum ostendant constitutiones. Cap. IIII.



OST morborũ Hypothesim, anni quóq; tempus vniuersalia commostrat tempora; Verũ sicuti morbus, ita & ipsum quoque tempus anni, non quæ sint præsentia tempora docet; sed qualia, quantáq;, quæ adhuc futura sunt, esse debeãt, præmonet; Vnde non solùm quartanam hoc inuasisse die scire sufficit, vt ab initio futurus præcognoscatur status, ac tanta moueri motus celeritate, sed etiam nùm hyeme, aut vere, vel æstate, vel autumno suum fecerit initium, prospicere oportet; id cognoscentes, quòd quartanæ, (vt dicebat Hyppo.) æstate magna ex parte breues sunt, autumnales vero longæ, &

quæ magis hyemem attingũt; simili modo & tertiana febris, cum cito certe terminetur, citius tamẽ æstate, quàm hyeme finietur, Atq; aliis singulis morbis æstas celeritatem addit, hyems verò diuturnitatem, quod & Hypp. solùm de quartana morbo omnium longissimo mentionem in aphorismo uti de exemplo faciens, innuit; At cum non propter temporum anni appellationes, singulæ ægritudines tales vel tales, hoc vel illo tempore contingant, sed propter ambiẽtis nos aëris temperaturam, aduertere expedit, anni tempora secundum eam, qua pollent temperie, morborum constitutiones gignere; Vnde dicebat Hypp. cum ver autumno simile factũ fuerit, autumnales ægritudines expectare oportet; quamobrem non omnis simpliciter æstas breues morbos parit, sicuti nec simpliciter hyems semper diuturnos, sed solum quãdo propriis

afficiuntur temperamentis; propriam autem hyemis temperiem frigidā ac humidam, ſicuti æſtatis calidam atq; ſiccam eſſe iam ſtatuimus; quare haud mirum eſt, ſi morbi omnes æſtate quidem breuiores fiant; inutiles enim humores funduntur, & per totū corpus dilati difflantur, vnde in quibus vires validæ ſunt noxiis euacuatis humoribus, morbi ceſsāt; In quibus verò imbecilles ſunt, vnà cum ipſis euacuatis, ipſæ quoq; diſoluuntur; Pari modo vti æſtate diſcuti humores, & vires reſolui contingit; ſic hyeme contraria eueniunt, & humores intus tamque in latebris remanere, & vires ſeruari robuſtas, quapropter diuturniores efficiuntur morbi, non enim ſoluuntur, manentibus iis, qui eos efficiunt humoribus; nec ægroti moriuntur viribus interim ſufficientibus; Et ſic quidem anni tempora morborum futuras prenunciant conſtitu

tiones; Sicuti autem in anni temporibus; sic etiam & in reliquis consimilibus ex proportione res sese habet, de quibus cũ sæpe sæpius ipse Hypp. diseruerit, hic nihil eorum meminit, breuitati nanque studens, ex vno omnia alia ad memoriam nobis relinquens reuocanda; quæ enim tempus æstium, eadem & ægri temperatura, si calidior & siccior fuerit, & ætas si in suo constiterit vigore, & locus si calidus & siccus, vnà indicabunt, quinimo & vitæ industria, & assuetudo, & præsens nos ambientis aëris cõstitutio, eodem modo se habẽt. Quibus omnibus, eadem ratione, quam in anni tẽporibus docuimus, morborum poterimus futuras constitutiones præuidere, his autem sic declaratis, quomodo ex accessionibus quoque vniuersalia cognoscãtur tempora querere prosequamur.

Accessiones

Accessiones quo pacto morbi tempora narrent.

Cap. V.



RAETER morbos ac anni tẽpora, accessiones quoqꝫ siue singulis diebus, siue alternis tantùm, siue etiã longiori tempore fiant, morborum monstrare constitutiones præhabito scribitur aphorismo; ipsæ enim non solum præsentium temporum notitiam afferunt, quam maximè efficere solent, sed futurorum quoque nos docere possunt præsensionem; Verum cũ qua ratione istud efficiant non omnes inter se conueniant (respiciunt enim aliqui solùm, num anticipent aut subsequantur accessiones, alii vero longitudinem solam considerant, & hi tantùm ipsam aduertunt vehementiam,) in hoc etiam nos Hyppocratem ducẽ statuere, eiusqꝫ insequi sententiam operepretium est; in-

quit itaque, vbi quo pacto quiſpiam ex circuitibus inueniat ægritudinis incremẽtum, docet; Acceſsiones eſſe inuicem conferendas, ac conſiderandum num celerius fiant, vel tardius, num ad longius vel breuius extendantur tempus, num ẽt magis vel minus fiant. Quibus breuiſsimis verbis vt ſui moris eſt, cognoſcendorum temporum ex acceſsionibus vniuerſam rationem innuit. Nam per celerius vel tardius fieri, nil aliud ſignificat, quã num acceſsio ſolitam anticipauerit horam, tardióruefacta ſit, conſiderandum eſſe. Et licet enim anticipatio ſola per ſe ipſam ſufficiens nõ ſit incrementi ſignũ, ſicuti nec poſtpoſito declinationis (vbi ſæpe morbi potius proprietatẽ inſequantur, quàm eius, vel augumentum vel declinationem, quartanæ enim tertianæ & quotidianæ, circuitus quidam ſtatim ab initio ad integram vſque ſolutionem ſem

per vel anticipare, vel futuri temporis aliquid posterius assumere visi sunt,) nihilominus & in his plusquàm proportio exegit, vel anticipare, vel subsequi, alterum incrementi, alterũ declinationis indicium est, simpliciter autem anticipare, vel subsequi, neutrius. Quamobrem non solùm, num secunda accessio cõsuetam anticipauerit horam aduertere conuenit; sed etiam nunquid (vt ipse dicebat Hypp.) ad longius extendatur tempus, vel ne. Attamen cum nec hæc tantùm satis sit perspicere, reliqua quæ ipse per verba num magis vel minus fiant, innuit, perpendere oportet. Hæc autem sunt, vt præter accessionum anticipationem ac longitudinem; earum quoque & magnitudinem, & morem inspiciamus, num magis vel minus adsint, quàm in priori accessione fuerint, contemplantes; sic pari etiã ratione, & declinationis & intermis-

ſionis quoque tẽpus conſiderandum eſt; (vt quæ ſint totius acceſsionis pars) ſi longius vel breuius præcedente, aut tollerabilius aut minus tollerabile fuerit, aut ſi quod ex acceſsione ſymptoma remanſerit, aut omnia ceſſauerint, animaduertentes; quorum omniũ adhibita contemplatione, num morbos augeatur, vel minuatur, vel in vigore conſiſtat, facilè acceſsionum ratione cognoſcere valebimus; Namque ſi acceſsio conſuetam anticipet horam, longiórque fiat, atq; vehementior, maligniórque & cum multis prauíſque ſymptomatibus inuadat, & ſi etiam declinationis tempus breue fiat neque omnino facilè, nec omnino caſuum acceſsionis expers, neminem futurum arbitror, qui de hoc morbo num augeatur ambigat; Rurſus ſi fiant his omnia contraria, tardet ſcilicet acceſſionis initium, longitudo verò & vehe-

mentia minor extet; cesset etiam malignitas, & iis qui superueniunt casibus minoribus factis ac simplicioribus, vel omnino non superuenientibus, intermissione verò, vel declinatione etiam toleratu facili, ac longa succedente, omnesque accessionis casus auferent, manifestissima hæc erunt declinationis inditia, sicuti priora augumenti; Cum verò quæ ad accessiones duas pertinent, æqualia fuerint, morbum consistere demonstrant. Licet tamen nonnunquàm, & vna omnibus aliis præcedentibus, reliquísque subsequentibus, maior sit, in qua morbus consistit; ad tres verò accessiones in acutis morbis status tempus extendi, non admodum accidit, in diuturnis, verò non solum ad totidem, sed etiam longè plurimas extenditur, semper autem accessionum æqualitate cognoscitur; Verùm non solùm ex acces-

ſionibus præſentia tempora (hac quam inuenimus ratione) cognoſcemus, ſed etiam quæ adhuc futura ſunt præuidebimus; Vnum enim quódque ex dictis ſua quantitate id præmonſtrabit; ſiquidem acceſsio plurimo anticipans tempore, & longius atque vehementius affligens, effatu dignum indicabit augumentum, & velocem eſſe morbi motum, atque haud ita multo poſt in ſuo vigore futurum. Neque. n. fieri poteſt, vt magna incrementa ſuſcipientibus acceſsionibus, non proxima ſit morbi conſiſtentia; contraria verò acceſsio, quæ ſcilicet parua faciat incrementa, omnium eorum quæ diximus, quantum ad hoc attinet, longius diſtare futurum morbi vigorem oſtendit; Cum itaqꝫ qua ratione acceſsionum adinuicem incrementa, præſentes morborum conſtitutiones declarent, futuras verò prænuntient, do-

euerimus, quomodo id quoque mox apparentia efficiant, iam perquirere agrediamur.

Mox apparentia qua ratione morbi tempora indicent. Cap. VI.



NIVERSALIA morbi tempora quantum extendi debeant, ex morbis ipsis primùm, demum ex anni temporibus, deinceps autem ex accessionũ inuicem incrementis (his quas hactenus docuimus rationibus) cõiectari oportet. Verum cum hæc ad temporũ morborum exquisitam cognitionem nõ sufficiant, sed habeant aliquid tantum artificiosæ coniecturæ; si exquisitam adipisci voluerimus notitiam, quod deinceps in prælegato aphorismo scribitur perpendendum erit; id autem est, ut præter

hæc omnia dicta, ex post apparentibus quoqꝫ vniuersalia iudicemus tẽpora, in quibus prima & præcipua signa sunt, quibus exquisitè valeamus præsentia quidem tempora cognoscere, futura verò præuidere (vtrũque enim mox apparentia efficiunt.) At cũ mox apparentia generatim dicantur omnia symptomata, siue signa, quæ morborum inuasionem insequuntur, quarum alia asſidentia, alia decretoria, alia cruditatis & coctionis & salutis & mortis, alibi vocari mostrauimus; ipsum de omnibus huiusmodi mox apparentibus hic non loqui, certum est (quando & asſidentia & decretoria vocata signa nullam habeant constitutionem morborum iudicandi facultatem) sed de cruditatis & coctionis tantũ signis intelligit; Vnde & in fine aphorismi mox apparentiũ, morborũ constitutiones declarantium adducens exẽplum, sputorum,

vrinarum, & alui excrementorum tãtum meminit, quæ omnia cruditatis & coctionis indicia existere, ficuti & quid coctio sit, alibi traditũ est; Qua aũt ratione huiusmodi coctionis signa præsentia morbi tempora narrẽt, inquiramus primũ, deinceps verò & quo modo futura quoque prænuncient, inuestigabimus. Non itaque artificiosa tantum coniectura, vti ex aliis antedictis, ex ipsis coctionis signis (quæ mox apparentia uocauit Hypp.) morborum cognoscimus præsentia tempora, sed exquisita quoque cognitione ac certa sciẽtia; idq; secundum eã quam in libro de morborum tẽporibus rationẽ docuimus. Ea autẽ est, ut quousq; nõ aderunt manifestæ coctionis signa, adhuc morbi principiũ perdurare cognoscas; cũ manifesta coctione morbi finiri principiũ, ibi traditũ sit. Quã ob rẽ apparẽtibus uel cruditatis, uel debilis, occultæ ue

coctionis signis, principium adesse signi ficatur. Est autem cruditatis nota, vrina aquea, debilis verò vel occultæ coctionis, quando ex aquosa subpallida fuerit facta, & si turbulenta etiam apparuerit, talísque permanserit, hæc quoque debilis coctionis est signum, & russa etiam & tenuis eiusdem generis est, quorum nullum principium iam finitum esse ostendit. Sic et in laterum & pulmonum pasionibus, nihil omnino expuere, sed siccam tantũmodo tusim habere, tale quiddam est, quale in vrinis extreme crudum, quod aquosum nominauimus; quod si ab eo quod est nihil expuere, ad expuere, verùm liquida & omnino cruda, fiat transmutatio, liquet quòd debilis & occulta est huiusmodi coctio, & nondum principium esse finitũ, quando manifesta egeat finis eius coctione. Qua quidem manifesta coctione appa-

rente, morbi adesse augumentum percipimus, & quousque perfecta non apparuit coctio, continuo morbum augeri scimus. Signa autem manifestæ coctionis sunt, sola nebula alba, vel suspensio æqualis, continua atque alba, & etiam rubens nebula, & subsidentia talis, & sine subsidētia bene colorata vrina, & crassitudine mediocris, manifestæ coctionis est signum, quo incrementum morbi ostenditur. Simili modo & in sputis cum ex multis & aquosis, pauca & cocta expui ceperint, increscit morbus, ac reliquo abhinc ad statum vsque omni tempore semper eo plura ac meliora & facilius expuente, incrementum augetur. Status verò cum tempus sit, in quo maximè coctiones fiant, dum vrget facile nobis coctionis ratione innotescit. Vbi.n. in generatione sanici dolores & febres augeantur, & maxima coctio, qualis in

morbi uigore perficitur, ſanici generatio ni adſimiletur, eam quoq; vehementiora concomitari ſymptomata neceſſum eſt, quapropter dicebat Hypp. in principiis quidē & fine omnia ſunt imbecilliora, in ſtatu verò fortiora; & alibi, vbi morbus peracutus eſt ſtatim extremos habet labores, quos cū adeſſe conſpexeris, tunc maximè fieri coctionem coniicies, & per conſequens incrementū præteriiſſe, ſtatum verò in eſſe; quo etiam tempore perfectæ coctionis ſigna intueberis. Nebula quidem ſola, aut quibuſdā bonis ſuſpenſionibus factis, ſtatus tēpus nondum adeſt, ac multo minus cum hæc ipſa defuerint, niſi forte morbus valdè bilioſus extiterit. Perfecta igitur coctio eſt, cū in vrinis ſubſiderit aliquid albū, leue, æquale, & continuum; ſimiliter & ſputa hoc tēpore exquiſitè cocta, & multa, & ſiue difficultate educuntur, ſæpe tamen in morbis

nullum ſenſibile tempus inuenitur huiuſ modi, ſed habente adhuc quarta, (ſi ita contigerit) acceſsione indicia augumẽti, quinta ſuperueniet acceſsione declinationis principiũ, quoniã videlicet ſtatus momẽtaneus extiterit, adeò vt nemo cũ adeſſet agnouerit; ſed vt exquiſitè dignoſcatur primũ declinationis tẽpus ſit neceſſarium; quod etiã & in morborum augumentis ſæpe euenire cõſueuit; nam prior aliquãdo acceſsio principiũ ſimul habuit, & aſcenſum, & vigorem. ſ. in prima ſui parte principiũ, deinde aſcenſum, poſtremo verò ſtatum, deinceps ſecunda acceſsio manifeſtè videtur declinare; qua præſente qualis fuerit quæ præceſſit, dignoſcitur. Pari præterea ratione cũ imbecilliora reddi videbis accidẽtia, co ctionémq; minui, paucis adhuc eã requi rentibus ſuccis, & iam ſtatum finitũ eſſe, declinationẽ verò aduẽtaſſe cognoſcas;

& maximè vrinis perfectißimè coctis ap parentibus; ac sputis pariter exquisitè coctis eductis, ac sine molestia, corúmque copia diminuta, doloréque non amplius vrgente, Et sic itaque vniuersalia morbi tempora, aut cum fiunt, aut nuper facta, in morbis percipere ex mox apparentibus poteris.

Tempora adhuc futura, ex mox apparentibus quo modo praecognosci debeant. Cap. VII.



ORBORVM tempora vel cum dum fiunt, vel nuper facta, quo pacto tum ex accessionum incrementis, tum ex mox apparentibus cognoscantur, iam docuimus. Verùm cum generoso medico, haud præsentia tantum cognoscere sufficiat tēpora, quo etiam modo adhuc futura præcognoscere liceat, tū ex

ipſo morbo, tum ex anni tempore, tum etiam ex ipſis acceſsionibus, iam tradidimus. At cum, ſicuti diximus, ea quæ hactenus habita eſt eorum præcognitio coniecturalis ſit, & nõ exquiſita; ex eiiſdem mox apparentibus eorundem futurorum præcognitionem, non artificioſæ tantum coniecturæ quidpiam habentem, ſed abſolutam atque ſcientificam, docere opportunũ eſt. Quando omnis ratio tum præſagiendi, tum etiam curandi cogat, nihil tam eſſe ſtudiosè diſcendũ, quã futuri ſtatus prænotionem, citra quam (vt infra clarius apparebit) nihil certi de ægri futura morte, ſaluté ve pronuntiare poſſumus. Similiter num criſis futura ſit, & ſi ſit ventura, quando, & qualis erit, præſciri nequeat, ni ſtatus præſenſio habeatur; præterea nec recta vti victus ratione, ſine ea, poſſumus, vbi ipſa futuro morbi vigore præ-

ſcribatur. Quam ob rem maximum hoc eſt artis huius opus, & cæteris omnibus anteferẽdum, ipſius ſcilicet futuri ſtatus præcognitio, eadẽ ratione & principium & augumentum multo etiã antea quàm fiant præcognoſcere præſtat. Qua igitur ratione, cum nondum adſint vniuerſalia tẽpora, ex mox apparentibus præuideri poſsint, ipſe Hypp. docet, inquiens in noſtro aphoriſmo, ſi ſtatim incipiente morbo apparuerint coctionis ſigna, breuem futurum morbum portendunt, cum enim cuiuſq; noſtri corporis, partlculæ ſuperfluitas, illam, quæ parti ineſt diſpoſitionem oſtendat, ſi reiectæ ſuperfluitates exquiſitè ſimiles illis fuerint, quæ ſanis aduenire ſolent, perfectiſsimæ coctæ apparebunt; integrámque earum partium, quarum ſuperfluitates extant, ſanitatem ateſtantur, ſi verò aliquo modo impediantur, à naturalíque receſſerint habitu

habitu, tantũ eas læſas eſſe demoſtrant, quantum ipſæ à naturali declinauerint forma. Quam ab rem cùm illi quod ſecundum naturam eſt, maximè contrarium crudum extet, iure fit, vt maximã patiẽtium membrorum imbecillitatem eraditatis denotent ſigna, coctionis verò indicia tantam adeſſe in diſpoſitionẽ ateſtantur, quantum à ſignis perfectiſsimæ coctionis diſtant. Vnde & in primo vulgarium morborum dixit Hypp. coctiones vbiqꝫ opportunas eſſe, & celeritatem iudicii, & ſecuritatem ſanitatis demõſtrare. Verùm licet ex mox apparentibus exquiſitè futura præcognoſcãtur tempora; id tamen non ſemper prima vel ſecunda die aſſequi poſſumus, ſed ſolummodo ſi morbus in primis quatuor diebus, vel in ſecundis decernetur, nos ſtatim prima die exquiſitè præuidere morbi ſtatum poterimus. At ſi lon-

gior futurus ſit morbus, non prima, aut ſecunda ſtatim die, (per diem autem noctem quoque intelligimus adeo vt ſpatium viginti quatuor horarum ſit) exquiſitè ſtatus præuideri poteſt; ſed artificioſa tantum coniectura, ſi verò deinceps ſingulorum aduenientium quaternariorum ſigna diligēter conſiderabis, & ipſum quoque ſtatus tempus, exquiſita aſſequi poteris præcognitione, vnde dicebat Hypp. oportet à prima die conſiderare, & in ſingulis adiectis quaternariis animaduertere, nec te latebit, quo ſe morbus conuertetur. Et quanuis in morbis primum ſeptenarium progreſſuris, futurus ſtatus prima die exquiſitè nō præſciatur; id tamen haud multum refert; quando id cognitu in his morbis, nec admodum ſit neceſſarium; cuius .n. gratia tali ægemus præcognitione, id iā habuimus, victus .ſ. formam congruam

constituere, cum status post multos dies sit subsecuturus. Quare si quarto vel quinto die status futurus sit, ac talẽ quis institueret victum, qualem, si die quadragesimo morbus esset finiturus, id maximum esset absurdum. Medicum igitur, qui prima, vel saltem secunda die, morbum primum septenarium pertransire non debere, non præcognouerit, plurimum certè erraturum, sit verisimile.
Qua autem ratione, id præuideatur ipse Hypp. docet, inquiens. Mitissimæ febres quæ cum signis securissimis fiunt, quarto die vel prius finiunt, atquæ malignitate excellunt, & cum signis grauissimis accidunt, quarto die occidũt, vel antea; Mitissimas itaque febres malignissimis opponens, neutras quartum transcendere diem, sed has quidem omnino solui, illas verò interficere, ostendit; si aliquis igitur acutè febriens primo statim die

nullum habeat periculosum signum, verum insuper omnia salutaria, vrinam autem mingat bene coloratam ac mediocriter crassam, hunc medico artis operibus exercitato, in primis quatuor diebus à morbo liberum fore, in propatulo erit, & eo magis si nebula aliqua, vel suspensio optima ibi afforet, atque etiam tanto plus si bona adfuerit subsidentia. Sicuti verò acuta febris, quæ prima die omnia tutissima habet signa, in primo decretorium dierum periodo soluitur, sic quæ isti proxima adiacet, diem septimã non transcendet. Sed quænam hæc est, illa .s. cui non omnia statim prima die tutissima insunt signa, sed tuta solum, quare nec ampl[illegible]s mitissima, sed tantùm mitis hæc ab ipso vocatur Hyppo. Vnde si primo statim die sit febris acuta, & non supremè, cum tutis signis, & non tutissimis, hæc ad secundum progredietur

quaternarium. Pari ratione maligna cum grauibus facta ſignis, quantũ abeſt à malignißima & cũ grauißimis ſignis inuadente, tanto mortem adfert tardiorem. Mites autem & mitißimas, & malignas & malignißimas quo modo diſtinguere oportet, alibi iam tradidimus; ſicuti quod tuta & tutißima, & grauia & grauißima ſigna, eandem uim non habent. Quod niſi prius ſciueris, ac ſignorum vires diſtinxeris, (ſed potius hæc quidem bona, hæc verò mala ſimpliciter eſſe opinaberis) tanquam vetulæ cãtilenam, quæ ab Hypp. ſcripta ſunt leges; nullamque ex hoc libro percipies vtilitatem. Si verò hæc omnia diligenter contemplatus fueris, num morbus primo, vel ſecundo quaternario finiri debeat, prima vel ſaltem ſecunda die, præuidebis. Verùm cum in morbis primo quaternario finituris, ma-

nifestæ coctionis signũ prima statim die apparere sit necesse, iam in his morbis principium transgressum est; non.n. incepisse, est impossibile; fieri enim nequit, vt morbus aliquis proprium recipiat statum, non præcedente principio, & augumẽto. Extremè licet breue horũ vtrunqꝫ temporum fieri sæpius contingat, adeo vt in primo statim die (vt in peracutis accidit) multotiens ad statum perueniat morbus. Quorum quidem acutorum principiorum ac augumentorum, futuris finis præcognitionem inquirere non oportet, sed satis putare, si dum adsunt, cognosci possunt, vel cum quàm primũ ad subsequens tempus conuertuntur; manifestè depræhendantur. Est autem communis talium principiorum, atque ascensum cognitio cum primis accessionis partibus; idem enim & huius, & vniuersi morbi principium atque ascensus

est, nam neque ipsa statim incipit à statu, cum id ne cogitatione quidem assequi possit. Quinimo nec status ipse, cũ prima inuadit die præsensione æger, sed cognitione solùm, quæ quo acquiratur modo superiori capite mõstrauimus. Cum itaque in morbis omnibus, qui primo septenario vel quanto vis citius finiri consueuerunt; uniuersam rationem tũ cognoscendorum præsentium, tum præuidendorum futurorum vniuersalium tẽporum, iã docuerimus. Ad eos qui vultra primam septimanam extendi debẽt morbos, accedamus. In quibus & si primo die exquisita haberi non possit futurorum temporum præsensio, ea tamen artificiosa quadam coniectura, etiam à principio præcognoscere non interdicitur. Deinceps verò quo proximius accesserimus, singulorum aduenientium quaternariorum signis attendentes, ex-

quiſitam quoque nanciſcemur eorum præſenſionem, ſecundum eam, quam nunc apperiemus rationem. Cum itaque nõ ſolum manifeſtæ coctionis ſignũ non apparuerit, ſed etiam cruditatis indicia adſunt, non tantùm morbum in principio cõſiſtere exquiſitè ſcimus, ſed etiam ipſum prima ſeptimana finem nõ conſequturum certò præuidemus. Quãdo qui primis ſeptem diebus finiri morbus debet, manifeſtam vel debilem admi nus coctionem prima die oſtendat oportet. Verùm ad quantum tempus tum principium, tum reliqua protrahentur morbi tempora, primis diebus exquiſitè præcognoſcere non poſſumus, ſed ſola tantùm artificioſa coniectura. Coniecturantes enim prima die, ad plurimos extendi debere dies principium, de reliquorum quoque totius morbi temporũ extenſione ſuſpicari licebit, proportio-

nantur enim adinuicem vniuersalia morbi tempora. Quamobrem in morbis primam septimanam egredientibus, vt primis diebus futurũ principii finẽ prævideamus expedit, tũ ob se ipsum, tũ ob coniecturalẽ vniuersi morbi præsensionem. Futurũ aũt principii finem præsentiemus, præsentia cruditatis, vel occultæ coctionis signa, quantum à manifestæ coctionis signis distent contẽplantes. Totũ namq; tẽpus quod generationẽ manifestæ coctionis præcedere oportet, principio atribuendũ est. Quãtum verò adhuc præsentibus signis deficiat, ad illud manifestæ coctionis indicium, cognosces, (si parum quidem desit exquisitè, si verò plurimum artificiosa tantùm coniectura) primum quantum inuicem distent, ac superabundent, & cruditatis signa, & coctionis, considerans, (nam & cruditatis signa non paruam inter se diffe-

rentiam habent, adhuc autem magis et coctionis) deinde & morbi motum, & naturam, & tempus anni, & regionem; & ipsius laborantis temperiem, atque ætatem perpendens; Si itaque integræ cruditatis signa in primis quatuor diebus apparuerint, longum erit huic morbo principium; quod si morbus quoque suapte natura diuturnus fuerit, vt quotidiana febris, ac tardè in ea æger moueri videatur, ac quodammodo succendi & sufocari, & tempus anni hyems fuerit, & regio frigida, ætásque ac tēperies patientis ad frigidum quoque declinauerit, multo maiori opus erit tempore intermedio, ad hoc vt manifestæ coctionis signum generetur, quod totum tempus principio est condonandum; Adeo vt non modo neque intra septimum, sed neque etiam decima quarta die quispiā habere poterit, manifestæ coctionis si-

gnum. Si verò mediocris cruditatis notæ primis diebus conſpiciantur, longum quidem & hoc erit principium, ſed non priori ſimile. At ſi parua fuerint cruditatis ſigna, futurum & principii tempus paucum erit, adhuc autem breuius vbi occultæ vel imbecillæ coctionis viſuntur notæ. Perpetuò tamen quibuſcunq; apparentibus ſignis, nunc magis, nunc minus, erit aut diuturnum, aut breue, prout ea omnia quæ retulimus, morbi, inquã, naturam, motum, tempus anni, regionẽ, ægri temperaturam & ætatem, vel feſtinare, vel remorari coctiones, acciderit. His enim accelerantibus vel breuius, vel minus diuturnum, remorantibus verò vel longius vel minus breue morbi principium redditur. Hic præterea, & ea quoque quæ ab Hypp. longioris temporis ſignificatiua dicuntur addere opportunum eſt, de quibus cum in ſequen-

tibus plenior habendus sit sermo, nunc ex. gratia huius tantum meminisse apho rismi sufficiat. Frigidi sudores cum acu ta quidem febre mortem significāt, cum mitiori verò prolixitatem; nam si in pri mis diebus præualentibus adhuc cruditatis signis, aliquæ huiusmodi notæ ap paruerint, principii tempori addunt. Sic itaque primis diebus aliquam euenturi finis principii artificiosa coniectura præcognitionem habebimus, exquisitius autem, & magis certè ipsum præcognoscemus si superuenientibus quaternariis mentem adhibuerimus. Nam primus qui debilis coctionis signum ostendit; ipse manifestius reliquū principii indicabit, (si vniuersum illud tempus, in quo nullum manifestæ coctionis signum cernitur, principium esse, pro comperto habueris) ad hoc namque respiciens, non erit amplius difficile inuenire, si in tot

primis diebus, ab his quæ primo die apparuerunt, tot iã abſceſſerint, quot erũt reliqua tranſigenda, vſque ad manifeſtam coctionem. Et ſic morbi præuidetur principium nunc quidem coniectura artis non experte, nunc verò exquiſitius & certius. Pari ratione & reliqua tempora, ipſis primis quoque diebus hac poterimus præuidere coniectura. Si enim principium longum fore præcognoſcimus, longius etiam & aſcenſus tempus erit, & ſtatus conſimilier poſt multum occurret tempus, ſic & morbi ſolutio. Si verò breuius principium futurum præſenties; reliqua quoqꝫ tempora breuiora fore artificioſa poteris ſuſpicari coniectura. Exquiſitius autem ipſa quoque præcognoſces, ſi ſuccedentes intueberis quaternarios ſingulos, eadem, quam in principii exquiſita præcognitione docuimus, ratione, de qua cum etiam in-

ſerius clariusq́ agere oporteat(nunc hæc ſufficere oppinantes) Morborum iam iam aggrediamur mutationes vniuerſa, vt à principio propoſuimus.

Quid Criſis ſit,& quo præſens euaſura ſit,dignoſcendi ratio. Cap. VIII.



TSI noſtrum in hoc libro propoſitum fuerit, omnium in morbis mutationum, præſentium quidem cognitionẽ, futurarum verò præuidentiam,tradere; vniuerſalium nihilominus temporum tũ cognitionem, tum præſenſionem prius docuiſſe oportuit; quod cum hactenus abundè perfecerimus; ipſarum morborum mutationũ, iam inſtitutionẽ aggrediamur. Et cum multiplices huiuſmodi in morbis mutationes contingant, de ſingulis ſeparatim tractare opportunũ fue

rit. Sunt autem omnium in morbis mutationum ſex differentiæ, vel enim ſubitò ad ſanitatem veniunt, vel ſubitò intcrimunt, vel paulatim horum vtrúnqꝫ contingit, vel mixtim, paulatim quidem, aut.ſ.morbo decreſcente, vel ægri viribus ſuccumbentibus; mixtim verò quãdo ſubita aliqua ad melius, vel peius cõmutatio facta fuerit, deinceps vſque ad omnimodam ſolutionem, vel mortem reliquum tempus fuerit abſumptum.

Quarum omnium mutationum, cum prima, natura quæ præter naturam ſunt ſuperãte, perficiatur, optima eſt, criſíſqꝫ per excellentiam appellatur. Ex permutationibus verò reliquis, quæ ad ſubitã terminatur mortẽ, mala nominatur criſis, quæ verò aliquam effatu dignã mutationem faciunt, non tamen integram ſolutionem vel mortèm, imperfectæ criſes vocantur, ſicuti quæ ſenſim emorien

te vel virtute, vel morbo accidunt, simpliciter solutiones dicuntur, & non crises. Crisis autem nomẽ inde ortum putandum est; quod eam plurimis ac vehementibus accidentibus tum praecedentibus, tum concomitantibus, vnde nõ paruus inspicientes inuadat timor, cum quispiam vulgaris homo istis adesset (re ipsa cogente) ita pronunciauerit, tunc de aegrotantis vita iudicium agi; neque.n. medicorum aliquis primus id nomen inuenit, cum generosum medicum neque turbari, neqꝫ futurum euentum ignorare deceat, omnino enim fuit necessarium vt qui praesens esset cõturbaretur, atqꝫ ideo exclamaret, & crisim idest iudicium rem ipsam nominaret; quod deinceps nomẽ à medicis quoqꝫ receptum est, quaerentibus potius quo pacto ipsa praecognoscatur, quàm quo vocetur nomine; quando quoquomodo appelletur dummodo

rem

rem ipſam intelligas, minimè curand impedies rationem. At cum ea quæ te nemus, alios docere non liceat, ni pro re bus ipſis nominibus vtamur; ne nos inutiles nominum diſceptatio interturbet, hæc in primis præfari operæpretium du ximus; Quibus ſic præmiſsis, de omniũ prima, quam optimã eſſe, & criſim ſimpliciter uocari mõſtrauimus, agamus pri mùm, deinceps verò & de reliquis. Cri ſis itaq; ſimpliciter vocata, eſt ſubita ad ſanitatem conuerſio, quibuſdam ſubitis excretionibus, aut effatu dignis abſceſsi bus factã, (quicunq; enim abſq; ratione quieuerint, malignius retrocedunt) antecedentéque huiuſmodi excretiones, & abſceſſus, non mediocri in corpore ægrotantis perturbatione. Vnde & anxietates, & vigiliæ, & demẽtiæ, & graues ſomni, & difficiles anhelitus, & allucinationes, vertigines, difficiles ſenſus, capi-

tis,colli,ſtomachi, & multorum aliorum membrorum dolores, nonnullis verò aurium ſonitus, & vanæ ante oculos apparent imagines, & lachrimæ inuoluntariæ efflunt, & vrina retinetur, & labrũ agitatur, aut aliquid tremulum fit; Obliuio, & præſentiũ ignorãtia, & vehemens accidit rigor; & plurimum acceſsio conſuetam anticipat horam, & multus æſtus ſitíſque intollerabilis ſequitur, clamant, & ſaliunt ſicuti furentes, neq; in eodem ſitu poſſunt recumbere; deinde repente multus ſudor erumpit, aut vomitus aliquis non paucus inſequitur, aùt venter ſubitò ſoluitur, aut abundans fit fluxus ſanguinis, aut hæc omnia ſimul contingunt. Quamob rem & quo præſens criſis ſit euaſura, dignoſcere, & quæ adhuc futura eſt, præuidere oportet. Et licet cognitio de præſentis criſis euentu, nõ multum diſtet à præcognitione eiuſdem fu-

turæ,ex eadem.n.contemplatione vtraque perficitur,melius nihilominus erit, prius de præſentis euentu agere, deinde verò de futura. Primũ igitur & maximũ inſtantis bonæ criſis indicium,coctiones ſunt, ſiquidem millies dum criſes fiunt aderis,neminem vnquam intereuntem videbis, qui præcedentibus perfectis coctionibus criſim patiatur. Verùm cum & vrina, & ſputum,& alui excremẽta coctionis indicia ſint; non tamen æqua omnium horum ſignorum dignitas eſt extimanda. Sed in morbis quidem thoracis ac pulmonum præcipuè ſputa ſunt animaduertenda,non tamen vrinarũ cõtemplatio negligenda; quinimo excrementa quoqꝫ alui inſpicito. Si verò tantùm febricitẽt ſine alicuius viſceris paſsione, vel epatis,ſplenis, renum, vel ueſicæ inflamatione, maximè vrinis animum adhibere oportet; ſicuti ſi circa ventriculum

pasſio ſit, primùm alui excrementa con templato, deinde neque vrinas negligito. Semper autem cum febris aderit, ſiue ex ſola humorum putredine accenſa ſit, ſiue ex membro inflamationem patiente, præcipuè vrinas inſpiciendas cenſeo; Atque inde coctiones cognoſcẽdas. Secundum autem bonæ inſtantis criſis ſignum eſt; quod in aliqua cretica die fiat, ac à die indicatoria (cui anexa ſit diei indicantis potentia) antea indicetur. Deinceps verò & morbi morem, & ſpeciem, inſpicere oportet. Mos enim ſi mitis ac moderatus extiterit, bonam fore criſim ſperabimus. Si verò prauus atque malignus, non bonam ſuſpicabimur; Speciem intuebimur, num formæ morbi excretio reſpondeat, perpendentes. Vrgente nanque ardente febre, vel ſanguis è naribus profluet, vel poſt vehementem rigorem ſudor

multus, & calidus per totum emanabit corpus; aut per vomitum, aut per aluum, aliquod biliosum excernetur; Ita & tertiana vomitibus, & excrementis biliosis,& sudoribus toto corpore fluentibus finiri debet; Plurimum autem pituitæ in quotidianis febribus excernitur, & multi in toto corpore sudores fiunt; Finit autem & phrenitim sudor multus,& præcipuè si ex capite multus & calidus fluxerit, sudante simul reliquo corpore; Cõtingit aliquando etiam per sanguinem è naribus fluentem phrenitidem finiri. Non tamen letargus aut peripneumonia fluxum sanguinis amant; Inter ipsas autem pleuritis medium obtinet locum, minus enim quàm febris ardens & phrenitis, magis autem quàm peripneumonia, atque letargus, profluuio sanguinis soluitur. Soluit etiam lienis & hepatis inflamationes sanguis è,

naribus profluens, cum hæc viſce-ra vnà cum acutis febribus habent infla mationes. Et omnes quæ ſub præcordiis fiunt calidæ atque acutæ inflamma tiones, fluxu ſanguinis finiuntur; oportet autē per directum ſanguinem fluere; ex dextra quidem nare, hepate patiēte, vel locis ſub dextris præcordiis po ſitis, ex ſiniſtra autem liene & locis vicinis. Iuuat autē ſudor bonus omnes quæ iuxta præcordia ſunt inflammationes calidas & acutas. Hepatis verò conuexæ partes patientes, tribus præcipue modis criſis obediunt, fluxibus ſanguinis ex de xtra nare, & ſudoribus bonis, & vrinis abundantibus, cauæ autem partes, bilioſis excrementis, atque ſudoribus, nonnun quam verò & vomitibus; Magis autem per urinas expurgari poſtulant, quàm conuexæ hepatis partes, omnia ea, quæ vel in partibus renum vel viſicæ labo-

rant. Sicuti loca ad thoracem pertinentia sputis ex pulmone. Sudores verò omnibus febribus proprii sunt, & præcipuè ardentibus. Iuuant autem non parum & efferuentes inflammationes, quando, sicuti antea diximus, vnà cum coctionibus emanauerint. Finiunt etiam & quotidianas febres, simul vomitibus, atque excrementis pituitosis adiunctis; & quartanas quoqꝫ, si atra simul ac varia excernantur. Semitertianas verò, si biliosa simul & pituitosa. Finiunt quoqꝫ parotides, letargos, & reliquos omnes capitis affectus. Aliíque decubitus, omnes diuturnas febres securè finire consueuerunt. Sed nondum de diuturnis morbis dicere proposuimus. Nam repentinæ mutationes acutorum sunt, quarum optimam, qualis sit, nunc narramus; quæ videlicet sine coctione perfecta non est, & quæ in aliquo die iudicatorio fit, ac

præterea ab aliquo indicatorio antea indicata, & crisis motum morbo conuenientem obtinens, secundũ paulo ante recensitam rationem. Præter hæc autem hortor vt etiam ægrotantis ætatem, ac naturam, nec non ante actum victum, regionem, anni tempus, ac præsentis temporis statum, cõsideres; Si enim quemad modum morbus fortè biliosus est, hæc etiam singula æquè biliosa sint, oportet bilem crisi expurgari, Sicuti si pituita superabunda uerit, ea vacuari debet; Variis verò superfluentibus humoribus variam oportet esse euacuationem. Cum autem hæc vniuersa bene tibi fuerint explorata, iam instantis crisis cognosces euentum; At quo adhuc certior, huiusmodi reddatur cognitio, iam euentus ipsi sunt contẽplandi. Si enim ægrotante crisim passo, febris soluatur, atq; ab aliis accidentibus liberetur, & melius fuerit

coloratus, pro ratione euacuationis, cũ melioribus pulſibus, & ad ſurgẽdum robuſtior, hæc optima criſis eſt; Si verò ex his aliquid deſit, tantũ ab optima deficit, quãta eſt eius quod deeſt vis; Et ſic quidem vrgentis criſis euentum dignoſcere oportet, futuram verò quo præuidere valeamus iam mõſtrare aggrediamur.

Optimæ Criſis, futuræ adhuc, præcogneſcendi ratio. *Cap.* IX.



VTVRAE criſis præcognitio non multùm diſtat à præmoſtrata inſtantis criſis, euentus cognitione; Cum ex eadem contemplatione vtráque perficiatur. In hoc tamen differunt, quòd de præſente, num bona ſit ſolùm quærimus cognoſcere. De futura verò primùm num

fiet, ſecundo num ſi fiet, erit bona, tertio quo fiet tempore, & quarto quo eueniet modo, præuidere operæpretium eſt. Quæ omnia ex ſpecie, ex vehementia, ex more, ac ex motu ipſius morbi maximè præcognoſcuntur, nec non ex conſideratione temporis anni, regionis, & aliorum, quæ eiuſdem ſunt ordinis, ac etiam ex accidentibus, quæ vnà cũ criſi ab initio inuadunt, vel paululum anticipant, quæ propriè critica nominãtur. Verùm cũ non vniuerſa hæc, eorũ vnũ quodq;, vel ſimul cuncta indeterminatè indicẽt, ſed certa tantùm ac diſtincta ratione, ex ipſorum his vel illis, hoc vel illud, præuideamus; Hanc nos docere rationem operæpretium eſt; Num itaque morbus per criſim finiri, vel per ſimplicẽ ſolutionem ſolui debeat; ex ipſa morbi ſpecie, atque magnitudine præuidetur; Siquidem acutorum tantũmodo morborũ criſes fiunt,

diuturni verò morbi ſimpliciter ſolui cō ſueuerunt. At cum nec omnes acuti morbi criſim patiantur, quando eorū quoq; aliqui ſimplicem inire conſpiciantur ſolutionem; num conſequutura ſit criſis, ex morbi contemplari oportet magnitudine. Si quidem magni iudicantur omnino, parui verò ſoluuntur ſolùm. Manifeſtioris igitur doctrinæ gratia, ducatur ad exemplum ægrotus ardente febre correptus; hunc criſim paſſurum, tū ex morbi ſpecie, tum etiā ex magnitudine præuidebimus, quod ſi regio, tempus anni, ætas, & temperies ægri, & conſimilia, ad calidum vergentia, morbi acuitati conſentiant, adhuc certius criſim expectare conuenit. Vtrum verò optima, maláue, futura ſit criſis, tum ægroti virium robur, tum etiam morem inſpiciendo præſenties. Vnde ſi ardens, quam propoſuimus febrem, benigna ſit; quod ex ſalu-

bribus depræhenditur ſignis (quæ autem hæc ſint alibi docuimus) optimam ſperare debemus futuram criſim . Magíſque, ſi id quoque validæ ægrotantiũ vires, ateſtentur; Sed num vires futuram optimam criſim arguant, impediánt ue, cognoſces, ipſarum robur, morbi magnitudinem, ac futurum ſtatum contemplando; ſine quorum trium cognitione, nihil de futura ſalute inueſtigare contingit; Sicuti nec nunquid aliquis portando oneri ſufficiet, ſcire poſſumus, hominis robore, oneris magnitudine, & viæ longitudine antea non perſpecta. Aegri nanque vires portanti onus, morbi verò magnitudo oneri, tempus autem quod uſq; ad ſtatum extenditur, longitudini viæ reſpondet. Quamobrem quæ ardens præpoſita eſt febris, cum acutus ac magnus morbus ſit , futuram indicat criſim , cum verò ſalubris quoque, ſiue benigna

extet, futuram crisim optimam etiam fo
re præmonet. Verũ cum optima crisis
in ipso statu, vt infra mõstrabimus, sem
per fiat, status verò nunc citius, nunc ve
rò tardius multo in morbis contingat, vi
rèsque non in omnibus, ac semper, æqua
li reperiantur robore; si in proposita fe
bre vires poterint validæ usque ad sta-
tus tempus seruari, optima sequetur cri
sis, integréq; liberabitur æger; At si an-
te statum, vires ob ipsarum imbecillita
tem succumbant, non solum optima non
fiet crisis, sed æger morietur (quantun
uis morbo ex sui natura salubri existen-
te) quando tunc primùm ægrotantẽ mo
ri sit necessarium, vbi vires morbo suc-
cubuerint. Crisis autem post quantum
tempus expectanda sit, vniuersalium tẽ
porum præcognitio, ac futuri præcipuè
status, docebit; cũ nanq; optimã crisim,
ante perfectam coctionẽ fieri non posse

dixerimus, nec exquisitam coctionē ante ipsum statum, status tempore optimã aduenire crisim necessarium est; Quapropter si præfatus æger statim prima die manifestissima habuerit coctionis signa, in primo omnino quaternario morbum scimus finiturum per crisim. Certa verò crisis dies ex ipso morbi motu præuidebitur. Nam cum qui in primo quaternario crisim habiturus morbus est, peracutus sit oporteat, vel febris erit synochus, vel continua, quæ per tertium exacerbatur. At si synochus quarta die crisim expectabis, natura à propriis circuitibus ad crisim perueniente, si verò continua fuerit, cum in idem tempus crisim incidere oporteat, cum acceßsione, vel in tertia die vel in quinta crisim fieri cõuenit. Et hinc raro accidit vt die quarta fiat crisis, adeo vt bis tantum toto tẽpore vitæ suæ id obseruasse videatur Ar

chigenes, ego verò ad hanc vſque horam ſemel ſolùm. Nam ſynochi raro eueniũt, & præſertim quod nullus comittatur error, huiuſmodi enim ſemper meminiſſe oportet. In continuis verò ſæpius ex quarto die ad quintum, vel tertium criſis tranſmutetur; quinimo ſi etiã quandoque quarto die iudicentur, ratione eius acceſsionis, quæ tertio die fit, id patiuntur; quæ enim circa horam vndecĩmam, (ſi ita contigerit) diei tertii acceſsio inuadit, vel tertia nocte, vel quarto die criſim inuehit. Verùm num die tertio vel quinto futura ſit, morbi motus præmoſtrat, ſi velox enim motus ſit, in tertio iudicabitur; in quinto verò ſi non adeo celeriter moueatur. Cum itaque prima die ſignum aliquod coctionis manifeſtum apparuerit, reliquis etiã omnibus nullum periculum protendentibus, tunc proculdubio ſcis, quod mor

bus primo quaternario salubriter necessariò soluetur; quòd si eius quoque magnitudo inspecta fuerit, etiam quòd crisi finietur præuidebis. Ex morbi verò motu quòd tertio vel quarto, vel quinto fiet, præsenties. Siquidem celer motus sit, tertio, si verò quodammodo tardior, quinto, at si febris synochus fuerit, ĩ quarto. Adiuuat verò motus celeritatem, morbi magnitudo, & anni tempus & regio & ætas & quæcunque alia amaræ bĩli conueniunt. Tarditati verò motus insunt contraria. Subiciatur rursus alius æger qui nullum habeat coctionis signũ manifestũ, nec in primo, nec in secundo die, nec tamen pernitiosum, sed omnino omnia sint absque periculo, saluabitur quidem & hic, sed in primo quaternario integrè non liberabitur, oportet autem diligenter mentem adhibere, nunquid aliquod signum manifestæ coctionis

nis in quarta appareat die. Nam ſi hoc fiet, neceſſe eſt vt die ſeptima æger liberetur, modò interim nullus admittatur error. Si verò ſalus per criſim ſit futura, vel ſine criſi, ex morbi noſcitur magnitudine; Liquet enim quòd ſi magnus fuerit, omnino per criſim finietur morbus, quòd ſi etiã motus adſit velocitas, multo magis id fiet; quòd ſi aliquis error circa ægrum cõmittatur, nõ magnus tamen, nihilominus ſperandum criſim die ſeptimo euẽturam; Si verò non multùm velociter moueatur, & aliquis interim error contingat, ad nonũ diem criſis tranſferetur; Rurſus itaque ſupponamus aliquem ſalubri morbo laborare, qui die quinta aliquod coctionis manifeſtæ ſignũ habeat, hic ſi morbus magnus extiterit & celeriter moueatur, vndecimo potius quã die decimo quarto criſim patietur, quòd ſi non adeò magnus nec ita

celerem habuerit motum, decimo quarto magis quàm vndecimo; Simul verò cum aliis est distinguendum, si & iuuenis fuerit, & natura biliosus, & tempus æstiuum, & in loco calido ægrotauerit, & prior victus & quæcunque præsenti atti nēt statui ad calorē declinauerint. Nam tūc omnino iste die vndecimo crisim patietur; Quemadmodum si omnia contraria iis, quæ dicta sunt, affuerint ægrotanti, in quarto decimo; quòd si nonnulla quidem aderint, nonnulla verò non, atq; interim aliquis accidat error, fieri nequit vt crisis die vndecimo sequatur, quinimo nec etiã aliquando die decimo quarto, vbi scilicet magis erratum fuerit; Sed si nullo errore cõtingente, mixta fuerint accidentia, hic medico opus erit exercitato, ac perspicaci, vt ea quæ maiorem vim habent signa, distinguat, & illi quæ ab ipsis ostenditur crisi, fidem adhibeat

certiorem,in hiſce adeò ambiguis præcognitionibus; ſi nanque neque in ipſo ſeptimo die,quod futurum eſt, exquiſitè præuidere licebit;in aliis tamẽ inter ſeptimum & vndecimum exiſtentibus diebus, id certè præcognoſcemus; Nam ſi magnitudo & velocitas motus morbi, in eiſdem diebus intendantur, ac coctionis ſignis effatu digna acceſsio facta fuerit, huiuſmodi ægrotus die vndecimo criſim obtinebit;Sicuti ſi contra ſe habuerint,in quarto decimo;Subiciatur iterum ægrotus qui in morbo ſalubri in primis diebus (per primos autem dies, quaternarium primum intelligimus)tardiorem febris motum habeat,neque cum nimis vehementi calore, veruntamen cruditatis adſint ſigna; quòd quidem intra quartum decimum diem hic non liberabitur morbo,iam manifeſtum eſt;Si verò in illa ipſa die,vel poſtea, ex morbi tempo-

ribus diſtinguendum eſt; nam principii quidem ſigna, ſi diu permanſerint, diuturnum morbũ fore ſignificatur; Augumenti verò ſi in quarta vel ſeptima die apparuerint, ſperandum eſt aliquod in quarto decimo, ſed in vndecimo determinabitur; Nam ſi hæc tria in eo die cõiuncta fuerint, & motus velocitas quæ ſufficiens ſumpſerit incrementum, & febris magnitudo, ac præterea manifeſtius coctionis indicium, fiet criſis in quarta decima, adhuc autem magis, ſi & anni tẽpus, & ætas ægrotantis, ac temperies, & quæcumque alia his ſunt proportionalia, ad criſim celeritatem cõtulerint; Si verò ſolùm coctionis ſignum manifeſtum die vndecimo appareat, nec tamen morbi magnitudo, ac motus velocitas feſtinauerint, tunc vltra decimum quartum diem criſis differetur; Sed ſi quidem anni tempus & ætas & cõſimilia ad frigidius de-

clinauerint, fortè ſperandum eſt morbi ſolutionem vigeſimo die ſequuturã; At ſi mixta ſigna fuerint,& dies decimus quartus coctionẽ inſigniter auxerit, die decimo ſeptimo criſis occurret; Si verò neq; die quarto decimo aliquid nouatũ fuerit quod ſit valde exquiſitũ, tunc ad diem decimũ ſeptimum eſt reſpiciendum,ſi.n. in eo aliquid ſignum apparuerit, id fidiſsimum erit, quanuis valde exiguum fuerit,vigeſimóq; die criſim futurã præmõſtrabit. Et ſic quidem omnes optimæ criſes,quæ die vigeſimo fiunt,vel citius,præuidentur,eadémq; ratione reliquas omnes optimas poſt vigeſimã diẽ contingentes,poterimus præcognoſcere, in ſingulis ſuperuenientibus quaternariis, tum morbi magnitudinem, tum motus celeritatem, tum ipſa coctionis ſigna contemplantes.Quæ omnia ſi eodem quaternario manifeſtè increuerint

in subsequenti crisis fiet, & maximè si alia omnia, vel plurima, potiorà ue, eorum quæ vnà perpendenda esse diximus, crisis accelerent aduentum. Cum itaque hactenus, optimarum crisium quælibet, num futura sit, & quo tempore, nec non qua die aduenire debeat, præcognoscendi docuerimus rationem; quo etiam modo, siue qua excretionis, abscessúsue, specie, continget, præsensionem inquirere oportet, quando quælibet earum eadẽ excretionis forma, codèmue abscessu non eueniat.

Futuræ Crisis modum quo pacto præuidere oporteat. Cap. X.



VALIS Crisis erit, hoc est vtrum per sanguinis fluxum vel sudores, vel vomitũ, vel deiectionem, vel abscessum

quempiam,vel aliquod huiusmodi, iam explanare conuenit. Hic quoque ab Hypp.bonarum omnium disciplinarum duce ac auctore exordientes;qui in primo vulgarium morborum libro, & in libris præsagiorum, omnia futurum crisis modum præmõstrantia indicia breuiter docuit; Et quanuis nullum futuræ crisis modi indicium ab ipso prætermittatur (pulsibus dẽptis)nihilominus multi priscam breuitatem aduertere haud consueti,plurima deficere crediderunt. Quam ob rem manifestius nos altero sermone de illis eisdem agere operæpretiũ est; fortè enim hoc modo discentes,neq; modũ futuræ crisis præcognoscere impossibile esse arbitrabuntur, neq; circa exercitationem torpebunt. Duplex itaque cum sit, modorum futuræ crisis primum genus,(vel.n.per excretionem,vel per abscessum fit)quare nunc vno,nunc

verò altero, horum generum modo crisis contingat, primũ scire oportet; deinceps verò vniuscuiusque modi particulatim notæ sunt indagandæ; Cum igitur morbi à calidioribus humoribus geniti, ægri viribus validis existẽtibus per excretionem iudicentur. His contrariæ sunt affectiones, in quibus facultas imbecillis est, & humor frigidus, quæ nec excretione, nec abscessu iudicãtur; Sed aut ægrũ corrumpunt, aut perquàm longo tempore vix concoquuntur. Inter has autem mediæ intercidunt, quæ per abscessum finiuntur; in quibus ex duabus dictis oppositionibus alterum ex altera, & alterum ex reliqua est; Duæ enim oppositiones existunt, è quibus altera secundum naturam humorum, altera secundum vires habetur; Atque in alterutra earum duo inter se opponuntur, ex humoribus quidem calidi frigidis, ex viribus ve-

rò valentes debilioribus. Si igitur humores calidi ſint non oportet facultatem robuſtam haberi, ſi abſceſſus quiſpiam futurus eſt; Si verò frigidi, facultate opus eſt valida, ad abſceſſum; Quam obrem, cum criſim futuram eſſe ex his quæ diximus; præcognitum ſit, deinceps qualis futura ſit, hoc pacto diſtinguentes præuidebimus; Acuto nanq; & calido morbo exiſtente, ſi criſis primis periodis fiet, neceſſe eſt in talibus criſibus non abſceſſum, ſed excretionem ſubſequi. Cum virium robur primis periodis ſemper adeſſe conſueuerit, quinimo & in ſubſequentibus quoque morbo bilioſo perſeuerante, ac virium robore non confracto excretionem expectare debemus; Si imbeciles verò vires fuerint morbo quanuis calido exiſtente, abſceſſum potius quàm excretionem ſuſpicari conuenit.

Vallidior enim facultas ad excretionem quàm ad abſceſſum requiritur. At ſi frigidus & tardus morbus ſit, per abſceſſum quieſcere conſueuit, virtute valida exiſtẽte. Niſi enim viriũ robur adſit, nec excretio nec abſceſus tali ſuperuenit morbo. His ſic præfinitis dein conſiderandum eſt, ſiquidem per excretionem terminari debet, num quid profluuium ſanguinis, vel vomitus, vel ſudor, vel alui ſubductio ſequetur; Si verò per abſceſſum, quod membrorum, & quis articulus abſceſſum ſuſcipiet; Ad id autem nil magis generatim confert, quàm naturæ inclinationem contemplari. Vnde Hyppocrates de peripneumonia in pronoſticis loquens aiebat, coniectare autẽ oportet in his naturæ motum, ſpeciatim verò in his qui per excretionem terminari debent, dupliciter diſtinguere oportet, tũ. ſ. futuræ excretionis ſignis, ſi affuerint,

tum aliorum ſi non adſint; certius enim ſperabis eum, qui ſemper præoſtenditur, modum excretionis, ſi nullū te aliud diſtraxerit; quapropter propria vniuſcuiuſque excretionis indicia me referre conuenit, te verò in ægrotantibus non hæc ſola inſpicere, ſed & ſingula alia conſiderare oportet; Si itaque præter rationem aluus & vrina comprimatur, iam prope criſi exiſtente, rigorem ſperare debemus; & quanto exquiſitius ardens febris fuerit, tanto certior rigoris erit præcognitio; Quod enim incendit biliosum eſt; bilis verò vbi vehementius mouetur rigorem excitat. Quod ſi & nox difficilis anteceſſerit, & dies indicatorius ſit, certius futurus rigor prædici poterit; At ſi nota ex arteriæ pulſatu (vt didiciſti) idem tibi oſtenderit, non rigorem ſolùm verùm etiam acerbiſſimum rigorem indubitanter fore expe-

ſtato. At cum rigor contigerit, diſtinguendum erit, num ſudor poſt ipſum ſequetur, vel vomitus, vel ventris ſubductio, vel horũ aliqua, vel omnia; Hoc autem diſtinguemus, num vrina tantum retenta, vel aluo etiam ſupreſſa, rigor ſuperuenerit, cõtemplantes; Ambobus.n. ſupreſsis, neceſſariò multus ſubſequetur rigor & ſudor; Redundantis nanq; ſeroſæ humiditatis triplicem eſſe didiciſtis euacuationem, per aluum, per lotium, & per ſudores; Si ſola verò vrina comprimatur, conſiderare cõuenit, nunquid alui excrementa plura quàm priora, vel pauciora ante criſim extiterint; Si nanq; multa, manifeſtius naturæ motus ad hunc locum eſt agnoſcendus; Vnde ſupreſſæ vrinæ ad futurum rigorem præſentiendum fidere non conuenit; Si verò pauciora, ægrum rigere ſudaréq; neceſſe eſt; At ſi vomitus quoque notæ

aderint, per has ambas crises iudicabitur, & vel magis per earũ alteram, quæ magis præualebit, vel æquè per vtrámque, quando æqualia quodammodo indicia extiterint; Si verò vomitus signa non affuerint, solos sudores expectare operæpretium est; & maxime quando ægroti delirauerint in crescente acceßione, & partes externæ calidiores, ac rubidiores apparuerint, & vapor quidam ca lidus exierit, qualis antea non aderat; Quòd si pulsus vndosus fiat, & insigniter mollis, adhuc amplius sudores erunt expectandi; Durus autem pulsus vomitusmagis, quàm sudores præostendere solet; Altus autem pulsus, omnis excretionis indicium est, sicuti & vehemens, Magnus verò si pulsus fuerit, motus ad exteriora potius quàm ad interna signum extat; Cum verò vtrumque duplex sit, hic quidem,

ad externa, per fluxúm ſanguinis narium, atque per ſudores, alter autem interius per aluum, & ſthomacum; Vndo ſus quidem pulſus ſudores; magnus autem ſimpliciter ſanguinis fluxum præmonſtrat; motu verò ad interna ſuperãte; cum non aderunt ſigna vomitus, per ventris excremēta criſis fiet, ſi verò aderint per vomitum potius. At ſi ipſis præſentibus, venter inſigniter ſubducatur; per vtraque criſis fiet: Inæqualis quoque pulſus aliquando in criſibus fit; & præcipué cum non fiant ſine periculo et pugna, & multo etiam magis cum bilioſi humores ad ventriculum confluunt; Grauato enim, vel morſum patiente ſtomaco, omnino inæquales tunc pulſus efficiuntur. Vomituum autem ſigna ſunt oris ventriculi morſus, ſimul cum capitis dolore, & vertigines obortæ, cum his quæ obiiciuntur oculis, tenebroſis, & cũ

agitatione labri inferioris, & multo ac tenui ſputo defluente. Quæ omnia, bilioſo ac mordaci humore in ventriculo collecto, accidere conſueuerunt; cum eo ventriculi os (ob magnitudinem neruorum ſentientium) mordeatur; ac ab eodem plenius calefacto, nec non (vt ita dicam) vehementer aſſato, atra exhalatio, ac ceu fuligo quædam capiti tranſmittatur, ob quam capitis infeſtat dolor; ac etiam quantum eius ad oculos permeat, turbulentiorem in eis humorem natura ſplendidum ac purum reddit, quam exhalationem uiſorius ſpiritus ad oculos à cerebro permeans ſentiens quoque, quemadmodum per ſuffuſiones, viſa tenebricoſa committit. Ab eadem verò bile interna ventriculi tunicula commorſa, infernum labrum contremiſcere, ac commoueri contingit. Didicimus enim ex diſſectione vnam eſ-

se vniuersam hanc tunicam perpetuam per omnia sibi, & omnis ventriculi, & gulæ, & linguæ, & palati, & omnis oris. Hæc igitur est, quæ morsa à bili in ore vẽtriculi contenta, infernum labrum commouet; Quæ quidem bilis, præ leuitate sua fluitare consueta, ventriculi fundum derelinquens, ac ad gulam vergens, facile uomi solet; Quod si vt antea diximus rigor inuaserit, & partes quæ sunt infra præcordia frigidæ fuerint, celerius non solùm adhuc aderit vomitus, sed etiam bilis erit copiosioris; Quin etiam si quid esitet, aut bibat, per illud tempus æger, citius adhuc euomet, cum vnà cum bili, ingesta cibaria in ventriculo vitientur; Si præter hæc autem, pulsus durus appareat; ac morbi species, & ætas & temperies ægri, & regio, & tempus anni, & consimilia bili correspondeant, certius nõ solum vomitũ, sed biliosum quo-

que

que ipſum fore coniicere oportet ; Sanguinis autem profluuii propria indicia ſunt, quidam fulgoris motus oculis apparentes, quoniam humor flauus eſt; & obtuſiones, quoniam multus & totus ſimul elatus ad ſuperna, ſpiritus meatus obſerat ; Ita etiam & oculi lachrimant, ob fluxus multitudinem; Quod in inflam mationibus quoque oculorum accidit; Eadem ratione rubidi aliquando videntur, cum malis nonnunquam, & naribus. Proprium etiam ſanguinis fluxus è naribus eſt, præcordiorum tenſio ſine dolore; Non paruum enim hoc ſanguinis ad ſuperiara tendentis indiciū eſt; Sicuti & difficultas anhelitus, nam & hæc ſanguine per thoracē tranſeunte fit; Cum itaqꝫ præcordiorum tenſio ſine dolore, impetus humorum in caput, ſignum ſit, non ab re capitis calore ſanguinem ſurſum attrahente, ac iecore impellente, ſangui

nis est expectanda ruptio; Si verò cũ do
lore præcordia tendantur, non fluxũ ſan
guinis, ſed aliquam ibi adeſſe inflamma
tionem ſignificant; Licet viſcerũ quoque
ſub præcordiis exiſtentium inflammatio
nes & cauſæ & ſigna ſanguinis fluxus
ſint, quando morbus per excretionẽ ter-
minari debeat; Sed & capitis dolores flu
xurum ſanguinem indicant, quanuis vo
mituũ quoque indicia exiſtãt; Qui enim
velut mordaces ſentiuntur, vomituum
ſunt indicia. At qui quodammodo gra-
ues, atque extendentes, pulſantésque &
calidi apparent, ſanguinis fluxuri ſunt
ſigna; & maximè ſi pulſus magni fue-
rint. Præter hæc autẽ omnia & morbus,
& ætas, ac temperamentum ægroti, &
præſens conſtitutio, & huiuſmodi, ſangui
nis profluuium indicare poſſunt; Quòd
ſi ſanguinem quoque ex eodem latere ſa
luberrimè, ex oppoſito verò nõ ſine no-

xa fluere sciuerimus, vti & Hypp. docet, & experientia comprobat; Narem etiã ex qua fluxurus sanguis est, facillimum erit prædicere; cum affectum locum exquisitè dignoscere possis, & crisis morẽ non ignores, & signa fluxurum sanguinẽ indicantia sint euidenter manifesta; Sanguinis itaque fluxus, & vomitus propria & manifesta sunt signa, post hæc verò & sudorum; Si verò per alui excrementa crisis sit subsecutura, manifestum quidem nullum est signum, nec proprium, sed ex eo quòd adsunt crisis signa, desunt verò vomituũ, & fluxus sanguinis, & sudorum, colligere licet; Quamquam nullo etiam horum signorum apparente, solùm per alui deiectionem omnino crisis non est expectanda. Cum & per hemorroidas, & in mulieribus per menses huiusmodi euenire crisis possit; Verùm nec id omnino impossibile est distingue-

per excretionem iudicetur. Verùm cum morborum ab huiusmodi crudis ac crassis succis genitorum, quidam exitiosi sint, quidam verò mites; Qui abscessu finiri debet morbus, in horum medio consistere necesse est; Exitialibus nanque nullus vnquam bonus superuenire potest abscessus; Mitis verò ac placidior, & si ex crasso ac crudo oriatur humore, cum coctione solui possit, ad abscessum non conuertitur. Vnde solùm qui inter eos medius extat morbus, per abscessum iudicabitur; Est autem horum medius, qui nec pernitiosi moris est, nec modico negocio concoquitur. Quamobrem si in aliquo dictorum morborum vrina multa, crassa, ac multam habens subsidentiam conspiciatur, morbum potius per coctionem solutum iri, quàm per abscessum iudicandum fore, coniiciendū est. Tenui verò ac

cruda perſeuerante,ſi cætera vt in conualituris indicia fuerint, abſceſſum expectare conuenit; idq; magis ac citius in iunioribus nōdum treginta annos natis, natu verò maioribus,nondum tamē ſenibus,minus eueniunt ac longiore tempore,ſenibus autem nullo accidunt modo; Nam in morbis per abſceſſum iudicandis facultatem validam,& non prorſus imbecillam (cuiuſmodi ſenū eſt)eſſe oportet;Simili modo nec in omni febre, at in continua tantùm talis expectandus eſt abſceſſus; Intermitens.n.in quartanā potius quàm in abſceſſum finitur; & maximé ſierraticæ more inuaſerit,atque autumno appropinquauerit; Pariter hyeme etiam magis abſceſſus fieri contingit, ob frigidorum humorum exuperantiam, quo quoque tempore tardius deſinunt,tum ob nimiam humorum craſſitiem, tum etiam ob immodicam ambi

entis nos aëris frigiditatē, minusq; tunc temporis retrocedunt, quando quidem repetentibus, motionem quandam adeſſe neceſſe ſit, frigidi verò moueri ægrius poſsint; Et ſic communiter futurum præuidemus abſceſſum; Quòd verò mēbrum, aut quem articulum obſidebit, morbi naturam exquiſitè intuentes, præſentiemus. Nam ſi morbus per abſceſſum iudicādus, minus diuturnus ac acutus magis extiterit, cum in ipſo craſsi minus ſint humores, ac maior caloris copia, nec non valentior facultas, in ſupernis partibus erupturum abſceſſum ſuſpicari cōuenit. Quòd ſi in huiuſmodi morbo, repente ac ſine euidenti cauſa anhelitus ſuperuenerit difficultas, moxque quieuerit, adhuc certius humores ſursū ferri coniicito, & ſi præter difficilem hanc reſpirationem, capitis grauitas ac dolor ſubſequatur, & grauis ſomnus,

nec non repentina ſurditas, non ſolùm in ſuperioribus partibus euenturum abſceſſum præcognoſcemus, ſed etiã glandoſas poſt aures carnes, ipſum neceſſariò obſeſſurum prædicemus. Si morbus verò admodum diuturnus ſit, ob frigus ac humorum craſsitiem, nec non ob virium longo temporis interuallo languẽtium imbecillitatem, ad infernas ſedes abſceſſus erumpent; & maximè vbi prædictorum ſignorum nullum adfuerit, & in ægroto ex locis infernis vel grauitas, vel tenſio, vel inflammatio, vel dolor apparuerit. At morbi medii, inter hos obtinent abſceſſus; qui medio genere ambiguunt; neque conuenit, quantum in ipſum agitur tempus, quærere ſint ne ſurſum potius quàm deorſum erupturi, ſed ex aliis diffiniri ſignis oportet; Et ſic itaque non ſolùm, num criſis futura ſit, & ſi ſit, num bona, & quo tempore, præuidere

licebit, vt in superiori diximus capite, sed etiam futurum ipsarum crisium modum tum generatim tum particulatim præsentire poterimus, vt in præsenti docuimus capite. Quibus absolutis ad reliqua, quæ in crisibus tractanda supersunt accedamus.

De diminuta Crisi, ac de simplice morborum solutione. Cap. XI.



VM tres sint (vt diximus) species perturbationis morborum, quando æger à morbo liberari debeat (vel enim subitò integrè morbus soluitur, vel subita insigni morbi facta diminutione, quod reliquum est paulatim deinceps absumitur, vel nulla facta euidenti mutatione paulatim soluitur) Prioris quidem (quæ repentina, ac integra

est morbi solutio) crisis simpliciter, vel crisis perfectæ optimæue vocatæ, tũ cognitionẽ præsentis, tum futuræ præsensionem, abundè hactenus ac exquisitè docuimus. De reliquis verò duabus iã nunc agere oportet à secunda exordientes; Quæ cum sit subita ac euidens morbi diminutio, qua manifestè ad melius conuertitur morbus; nõ tamẽ integrè soluitur, non simpliciter crisis vt prior, sed diminuta solùm, imperfectáue crisis nuncupatur (aliqua .n. morbi portio, post ipsam relinquitur, integrè deinceps paulatim solubilis) Quæ quidem diminuta crisis, ex eo tantùm vno à perfecta differt; quòd à morbo integrè nõ liberat; Huiusmodi autẽ imperfectio, siue diminutio, ob id sibi contingit, quòd in ipso statu, vti optima, nõ fiat, sed antea dirumpatur(vocat autẽ sic Hyp. omnia quæ ante statũ ad crisim ruunt) dirumpitur autẽ ante statum,

vel ob miram morbi magnitudinem, vel ob immodicam motus celeritatem, vel ob aliquod aliud extrinſecum irritamentum; Vnde ſi decimo quarto die ſpes ſit, ſtatũ forè, ob morbi verò vehementiam, vel eiuſdem velocitatem, vel aliud irritamentum, criſis die vndecimo anticipet; ipſam neque perfectam, neque bonam, ſperare quimus; Quinimo eo tẽpore penitus timendum, præſertim ſi neq; ex toto morbus periculo vacet; Quòd ſi ſalubris apparuerit, verendum nihilominus eſt, ne vel criſis cum grauibus fiat accidentibus, vel non integra, vel omnino recurſura; Adeo magnam vim habent coctiones, ac præterea etiam morbi ſtatus. Quare tãto deterior diminuta criſis erit, quàm illa, quæ in ſtatu fit, quanto magis anticipauerit. Et ſic præſentis diminutæ criſis cognitio habetur; Ipſa verò adhuc futura exiſtente, num diminuta eueniet,

ex morbi tum vehementia ac celeritate immodica, tũ ex extrinſeco irritamẽto, aliquo modo coniici poteſt; Nam ſi horum aliquod, vel plura, vel omnia, morbo per criſim ſoluendo aderint; criſim ſtatum non expectaturam ſuſpicari poſſumus; & propterea diminutam fore; quãdo eorum nullo, criſim immodicè feſtinante, ipſa ſtatum expectaret. Quo autem tempore diruptura ſit, ex futuri ſtatus præcognitione præſentietur; Nam licet certam diem præuidere exquiſitè non valeamus; Cum indeterminatus ſit vnuſquiſqꝫ diminutus ac imperfectus naturæ motus; Quòd tamen non multò ante ſtatum huiuſmodi criſis fiet, certò præuideri poteſt; Quando & ſi mors in tribus temporibus principio.ſ. augumẽto & ſtatu, contingat, criſis ſolũ in ſtatu vel parũ ante ipſum, fieri poſsit; Eiuſdẽ verò mos, ac futurus modus ex illis eiſ-

dem ſignis præcognoſcẽtur, ex quibus perfectæ criſis futuræ tum morem, tum modũ præcognoſci docuimus; Et ſic qui dẽ diminutam futuram criſim, ſi non ex quiſitè vt perfectam, artificioſa tamen coniectura præuidere licet; Cuius tũ co gnitione, tum præuidentia iam tradita; Tertiæ ſalubris morborũ mutationis inſtitutionẽ aggrediamur. Quæ cum longiori tẽpore, & paulatim fiat, nullo modo criſis nomẽ meretur, ſed tãtũ ſimpliciter ſolutio vocatur; Nã ſicuti vel eſſatu digna euacuatio, vel oĩno abſceſſus cũ veloci perturbatione neceſſariò in criſibus fiũt; ita in ſolutionibus neq; agitatio aliqua, neq; euacuatio, neq; abſceſſus accidunt; Quã quidẽ futurã ſolutionẽ, morbi & ſpecie, & more, & vehemẽtia præsẽtire poſſumus; Nã cũ febrilibus tãtũ morbis criſes cõtingant, ſi citra febrẽ morbus cõſtiterit, necnõ ſalubris erit, nõ criſi

ſed ſolutione terminabitur, ni virium imbecillitas, ad vſque morbi ſtatum minimè perdurare valens, obſtiterit; Similiter cum non omnis febris, ſed magna ſolùm criſi finiri ſoleat, ſi parua febris fuerit, ſoluetur quidem & nō iudicabitur; Quin imo febre quoque magna exiſtente, ni vi res ſatis validæ fuerint, ſolutionem potius quàm criſim ſuſpicari conuenit, validiori nanque facultate ad criſim peragendam, quàm ad ſolutionem, opus eſt; Futuræ verò ſolutionis tempus, vniuerſalia morbi tempora indicabunt; Nam cum morbos ſolutione finiendos, omnia huiuſmodi tempora pertranſire neceſſe ſit, licet ſolutio maximè in ſtatu fiat, paulatim tamen continuò morbo decreſcente, ad extremam vſq; declinationem extenditur; Et ſic autèm cum quibus rationibus vniuerſas morborū ſalutares mutationes, tum præſentes cognoſcere, tum

futuras præuidere, conueniat, docuerimus abundè hucusque; De reliquis, quibus mori accidit, disserere iam prosequamur.

Quòd quatuor modis mori contingat, ac de eorum uniuscuiusque præsensione, Cap. XII.



SICVTI tres sunt salubres morborũ mutationes, sic tres aliæ pernitiosæ istis proportionales opponuntur. Cũ moriturus enim est ægrotus, vel subitò moritur, vnà cum turbatione & quibusdam vel excretionibus, vel abscessibus effatu dignis; vel mortem non subit quidem subitò, sed cũ multò deterior euaserit, paulatim deinceps moritur. Vocantur autem hæ duæ mutationes crises nõ bonæ, siue malæ, seorsum verò, prima exquisitè mala, secunda mala imperfecta, Tertia autẽ malæ permutationis species est, quæ

citra omnem insignem excretionem, ac abscessum, nec nō subitam ad peius euidentē mutationem, paulatim solùm ad mortem vsq; fit, vocatúrque arefactio. Verùm & præter hos tres perniciosæ mutationis modos, aliis tribus salutaribus oppositos, quartus quoque alius perniciosus modus reperitur; Cū scilicet subitò moritur, absque omni præcedente agitatione, ac excretione euidenti, vel abscessu; Quamobrē nec crisis modus iste vocatur; Ipsum autem ab aliis tribus differre, clarum est; Quando nō parum intersit, agitatione præcedente, cum excretione insigni, vel abscessu fieri; aut citra eorum vnum quódque; Eundem pariter salutarium modorū nulli assimilari, certū est; Nemo siquidē vnquàm morbum subitò euasit sine crisi, vti sine hac plurimi subitò intereunt. Cum quatuor ergo mortis modi sint, corúmq; duo cū crisi
contin

contingant, alteri verò ſine criſi fiant; de illis qui cum criſi interficiunt, dicemus primùm, deinde verò & de reliquis duobus. Exitialium itáque criſium præcognitiones valde inſtabiles cũ ſint, prudente admodum, ac arte inſtructo exercitatóque medico indigent, ſi numquid futuræ ſint, & an hoc certo die, deinde num hominem illico interficient, vel nocebunt tantummodo, præuideri debeat; Nec in ipſis plurimam reperiri incertitudinem, ac quandam ſolũ coniecturam, mirum eſt, & ſi in bonis criſibus & firmitas, & ſcientia præualeat; Determinati nanq; ſunt atque ordinati naturæ motus, vbi ipſa valida extiterit, ac materiæ dominetur, & propriis fungitur muneribus; Indeterminati verò atq; inordinati, & prætere incogniti, quando illa ſuccumbit; Primùm itáque cum morbum ex ſignis exitioſis, pernitioſum

ram præmõſtret, difficulter ipſius futuræ pernitioſæ criſis, certam præuidebimus diem; Age enim in quarta die viſa primũ ſit nebula in vrinis nigra, vel ſuſpenſio nigra, vel tale aliquid huiuſmodi; ſint verò & omnia alia ſigna & accidentia pernitioſa, morietur quidem penitus hic æger; Sed ſi in imparibus acceſſio facta fuerit, ſeptimo die criſis accidet; Si verò ĩ paribus diebus ĩ ſexto; Certiorẽ verò tibi faciet expectationẽ, morbi motus, ſi enim acutè moueatur, criſim accelerantem ſignificat, hoc eſt in ſexta venturã; Si verò tardè, ad ſeptimam diſſeretur; At ſi indicatrix dies, de mala criſi futura ſignum nullum oſtenderit, neq; eius futuri temporis præcognitio facilis erit. Verùm ſi diligenter quantũ morbus naturã ſuperat, cõſideraueris, & graues acceſsiones inſpexeris, mortis diem præuidebis; Nam ſi effatu dignus exceſ-

ſus fuerit, & parum adhuc reſiſtere natu ræ vis videatur, mars cito conſequetur; Si verò cōtraria affuerint, tardius; Sit igi tur exempli gratia, multus exceſsus, non manifeſtus tamen, an ad vnum diem, vel duos extendi poſsit, tunc id acceſsionum circuitibus diſtinguetur; Quo.n. die ac-ceſsio futura eſt, illo morietur; Mortis ve rò certam dici horam coniicies, conſide rans, quòd quemadmodum in principii, ac declinationis vniuerſalis tempore mo ri cum criſi non contingit, ita nec in prin cipio declinationéue particulari vlla cri ſis accidit, ſed ſolùm in ſtatu vel in au-gumento; In quo autem horum, aut in qua eorum parte, criſis fuerit, præce-dentium dierum recordatio exquiſitius tibi præmonſtrabit; Si enim ex ipſa mor bi ſpecie, in qua maximè acceſsionis parte, mors ſit futura, præuidere ne-queas, ea quæ primis diebus contige-

gere, ad memoriam reuocans, qua hora grauissima atque exitialia accidentia superuenire consueuisse cognoueris, hac eadem mortem secuturam fore suspicari poteris; Ipsius verò exitialis crisis futurus modus, ex eisdem præuidetur indiciis, quibus optimæ crisis futurum modum præcognoscendum esse iam docuimus; Num autem eam subita sequetur mors, vel potius, sola insigni facta in deterius mutatione, paulatina demum mors superuentura sit; ex morbi vehementia, more, motu, ac viribus præcognosces; Si enim vehemens fuerit morbus, ac valde exitiosus, celerriméque moueatur, & virtus non admodum valida, ac morbus crisim recepturus sit, ipsa subitò omnino interficiet; Si verò iis contraria adfuerint, primùm solùm euidenter subitò in deterius cõuertitur, postea autem paulatim quo-

istis.n. præsentibus omnino absq; crisi subsequetur mors. At num paulatina vel subita fuerit, morbi vehementiã, improbitatem, ac motũ, ægríq; vires perpẽdens, præsenties; Nam morbi magnitudine, malitiáq;, moderatius vires, non penitus confractas existentes, opprimentibus, non subitam sed paulatinam fore mortem sperãdum est; Et maximè si tardèquoq; moueatur morbus; Si verò immodica morbi & vehementia, & malignitas, conspiciatur; virtus verò imbecillissima existat, adeo vt plurimum à morbo, qui velocissimè quoq; moueatur, superetur; tunc non solùm sine crisi superuenerit mors, sed etiã subitò. Quibus autẽ vniuersalibus morbi tẽporibus, vtraque accidet, vel modico præuidebitur negocio; Paulatina nanq; mors vel in statu, vel in augumento solũ euenire potest, cum ipsa semper, vi morbi superata

natura occurrat, ac huiusmodi morbi vi ctoria nõ nisi vel statu vel augumẽto fi at; repentina verò principiũ non transgrediatur, cum fiat natura, nullo pacto morbo reluctãte, sed potius penitus succũbente; Quã ob rem in omni vniuersali morbi tẽpore, declinatione dempta, aliquando mori contingit; in ipsa verò neque vnquã aliquẽ obiisse visum est, neq; id etiam ratio comprobat; Vbi.n. morbi status præterierit, iam natura superior certè euasit, aliter nanq; morbus nõ declinasset; Quare nullus aduenientis mortis modus tunc excogitari potest, præterquã ex errore; Sed de hoc haud quaquam nunc considerare proposuimus, sed an morbi ratiõe mori accidat; Quæ quidem mors cum semper sit omnimoda naturæ prostratio, ni à morbo natura vincatur, nullo penitus modo mori potest; vincitur verò nunquam decli-

natione præsente vniuersali; Cum itaqꝫ paulatim euenturam præuiderimus mortem, ipsam vel status, vel augumenti tempore, expectabimus; Si verò subita præuisa fuerit futura, in ipso morbi principio euenerit; Verùm cum non satis sit, id solum præuidisse, qua etiam die, & qua diei hora, vtraque ventura sit, coniectare tentandum est; Diem autem præuidebis si quantò naturam morbus superet animaduerteris, ac accessionum insultũ perspexeris, secundum illam eandem rationẽ, quã in præcognitione diei crisis pernitiosæ docuimus; Horam verò aliter, quàm in pernitiosa crisi, præcognoscere oportet; In ea.n. semper (vti diximus) mors vel in statu vel in augumento accessionis, prout eorũ alterum grauius affligere consueuerit, aduenit. Mors verò sine crisi futura, in quouis accessionis tempore euenire potest; adeo vt & in

præuideras futuram, ipſam expectabis; Et cum hac eadē ratione, ſuperata .ſ. natura à morbi vehementia, in augumentis quoque plerunq; moriatur; num in ſtatu vel in augumento acceſsionis, & in qua vtriuſque certa hora moriendū ſit, diſtingues; Ad memoriam reuocās, quo tempore & qua maximè hora, grauiſsiſsima, atque exitialia accidentia ſuperuenire cōſueuerint, nanq; in illa eadē mortem futuram eſſe poteris coniicere. Solet autem hæc ſecunda mortis ſpecies, magis cum paulatim mor tur accidere quàm cum ſubitò mori conuenit. Si verò virtute imbecilla exiſtente, ipſam in principio, augumento, ac ſtatu acceſsionis, perduraturam comprehendere poſſes (cū adhuc habitus ipſe in vnū compreſſus contineatur) declinationis verò tēpore, à medio ad extrema calore retro cedente, naturæ habitum ſpargendū ac

dissoluendum fore coniiceres; mortē ipsam in declinatione accessionis venturā prædicere valeres; Moritur enim sic eo tempore (& si per rarò accidat) dissoluto vitali calore; Vnde horum nonnulli subita morte opprimuntur, vt præsentes animo potius difficere, quàm mori existiment; Quidam verò paulatim & nō subitò intereunt; Omnes tamen à statu accessionis incipiunt; ita verò latenter, vt multis videātur tales citius quàm sperassent, à statu ad declinationē trāsire; Sed manifestissimè ex pulsibus cognoscuntur; Neq;.n. paruo interstitio differunt, qui mortis ratione, citius quàm sperabatur, ad quandam falsam declinationem perueniunt, ab his qui verè decli nant; In vtrisque enim subitò febrilis calor dissoluitur, fit verò contrariis ex causis, Siquidem naturæ robori maximè contraria est imbecillitas, vehe-

mentior igitur fit continuè magis pulſus,& æqualior, atque ordinatior, in optima declinatione, Expellit enim natuna fortis omnem ſubitò febrilem calorem; Debilior verò atque inordinatior, & inæqualis eſt pulſus in mortalibus declinationibus; Nam vnà cum aliis tunc febrilis calor expirat, atque hinc ſpes melioris exoritur; Mox verò cum ad leuandum ventrem ſurrexerint, animi defectum incurrunt, & nonnulli pauco ac tenaci ſudore effuſo, moriuntur, vel etiam ſine ſurrectione; Et hæc tertia mortis ſpecies (quam in declinationibus acceſsionum fieri monſtrauimus) tum in his qui paulatim, tum in illis qui ſubitò moriuntur, euenire conſpicitur; Quam ob rem ſi mortis ſine criſi differentias, ex eo quòd, vel paulatim, ac quodammodo natura per aliquod

priores duos modos contuleris, (vti iam mõſtrauimus) primam mortis ſpeciem in ſecundo tantùm moriendi modo reperiri inuenies, Secundam verò & tertiam plurimũ in primo modo accidere, licet nec aliquando, in ſecundo etiam reperiri ſit impoſsibile; Et ſic cũ vniuſcuiuſq; tum cum criſi, tum ſine criſi moriendi modi, & cognitionẽ, & præcognitionem exquiſitè hoc capite docuerimus, Huic libro omnium criſium, ſiue vniuerſarum morborum mutationum peritiam abundè, & exactè complectenti, extremam apponamus manum.

FINIS.

